

29
F. N. F.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

De

**AMBITIONE,
HÆRESIUM
CAUSA,**

Quam

SUPREMI NUMINIS AUXILIO

SUB PRÆSIDIO

DN. JOAN. GVILIELMI BAJERI,
S.Theol. D. & Prof. Publ. Ordin.

IN AUDITORIO THEOLOGORUM

Add. 13. Aug. A. C. clō lōc XCII. Aug. 1692

PUBLICÆ DISQUISITIONI

submitte

ALBERTUS FELIX Gärtner/
Gilbertivillâ - Francus.

J E N Æ,

TYPIS GEORGII HEINRICI MÜLLERI.



ILLUSTRISSIMO COMITI ac DOMINO,
DOMINO

VOLLRATHO,
COMITI IN LIMBURG,
SAC. ROM. IMP. PINCERNÆ
HÆREDITARIO, ET SEMPER-LIBERO,

COMITI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

*Hoc quicquid est Speciminis Academici
Sacrum esse jubet*

Cliens devotissimus

A. F. GERTNER.






B. C. D.

DE
A M B I T I O N E,
HÆRESIUM CAUSSA,
DISSERTATIO,

PROOEMIUM.



*H*æreses inter opera carnis numerum facere, vulgò notum est: docente verbis apertis Apostolo *Gal. V, 20.* Carnis autem nomine corruptionem animæ nostræ & facultatum ejus designari, constat. Nam quod *Nic. de Lyra* sensualitatem sic appellari putat, fundamento caret: cum nec ipsa, ut talis, in vitio ponatur, neque oppositio carnis & Spiritûs, cum pugna sensitivi appetitûs & rationis prorsus coincidat. Itaque *carnis opus esse*, est ex corruptione naturæ nostræ, aut ex illa inordinatâ *concupiscentiâ*, quam cum *Aug. Confessione & Apologia* ejus vocamus, proficisci. *Hæresis* autem, vox ori-

A

ori-

¶ (2) ¶

origine Græca ; ab electione dicitur , quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam ; quam putat esse meliorem : juxta Hieronymum , ad l. c. Tom. VI. Opp. p. m. 353. Equidem ex vi nominis, quælibet peculiaris doctrinæ & vitæ ratio, hæresis dici posset ; ideoque hætenus vox indifferens est , nec ad deteriore partem determinata ; prout Paulus Act. XXVI, 5. Pharisæicam sectam , cui ipse addictus fuerat , αἵρεσιν ἀρεβουσίτην appellat ; Judæi quoque doctrinam Christianam , de qua aliquid famâ perceperant , exponi sibi a Paulo cupientes ; Volumus, ajunt, ex te audire, quæ sentias. Nam de hæresi ista, ὅτι τῆς αἵρέσεως ταύτης, notum est nobis, quod ubique ei contradicatur. Act. XXVIII, 22. Imò Constantinus M. Imperator , in Epistola, quâ alteram Episcoporum Synodum fieri jubebat, ut omnis dissensio tolleretur , apud Eusebium L. X. Hist. Eccl. cap. V. p. m. 391. religionem, quam ipse amplexus, in pretio habebat, religionem sanctam & catholicam hæresin pro iisdem habet, illos increpans, qui à sancta religione cælestiq; virtute & hæresi catholica dissidere cœpissent, οἱ ὅτι τῆς θεοσεβείας τῆς ἀγίας καὶ ἐπισημῆς δυνάμεως καὶ τῆς αἵρέσεως τῆς καθολικῆς ἀποδίισμασθ ἤρξαντο. Quâ ratione religio seu hæresis illa nequaquam inter opera carnis referenda erat, quæ cœlesti atque adeo divinæ virtuti adferibitur. Aliter autem & strictiore sensu vocem à Paulo Gal. V. acceptam fuisse oportet, eò videlicet, quò etiam Petrus αἵρέσεσ ἀπολείας, hæreses perditionis, i. e. perniciosas aut exitiosas dicit, quas ψευδοδιδάσκαλοι, falsi Doctores inducunt. Quando enim vera & salutaris religio nonnisi una est, eam verò Deus ipse revelavit verbo suo, idque satis clarè ad sufficientem cognitionem : profecto, qui hanc amplectuntur, non tam ipsi suo

suo arbitratu aliquid eligere aut elegisse, quàm captiva-
 ta in obsequium Christi omni cogitatione (II. Corinth. X, 5.)
 Deum ipsum sequi, dicendi sunt. Qui verò diversam
 tradunt doctrinam, & non accedunt sanis sermonibus Do-
 mini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est
 doctrinæ (I. Tim. VI, 3.) horum potius doctrina & af-
 fectata religio αἰρέσεων nomine appellanda venit. Quod
 jam olim observavit Tertullianus Lib. de Præscript. cap. II.
 (al. VI.) p. m. 107. Hereses dictæ Græcâ voce ex interpre-
 tatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad sus-
 scipiendas eas utitur. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio in-
 dulgere licet; sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo
 induxerit. Apostolos Domini habemus Autores: qui nec
 ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt,
 sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assi-
 gnaverunt. Repetit etiam hæc verba Isidorus Hispa-
 lensis Lib. VIII. Orig. Cap. III. Et plane ad eundem
 modum Theophylactus in Epist. ad Coloss. II. v. 8. scribit:
 Propterea hereses dicuntur, quia sunt hominum opiniones.
 Christianorum autem fides non est humanum dogma: pro-
 pterea nec tale nomen assequetur. Atque hac ratione
 hæreses inter opera carnis omnino referendæ sunt:
 quia Spiritus quidem, carni oppositus, nonnisi in veri-
 tatem ducit, quæ una ac divina est; caro autem ex
 adverso, uti non percipit, quæ sunt Spiritus Dei, sic in va-
 rias opiniones ac vias homines distrahit, ut jam mul-
 tæ sint hæreses, atque inter se non minus, atque à
 veritate discrepantes, omnes tamen sint opera & fru-
 ctus carnis: prout alias diversa & contraria vitia ex
 corruptione naturæ nostræ nascuntur. Quemadmo-
 dum verò per id maximè se prodit corruptio illa hu-
 ma-

manarum mentium, quòd se maximè quærunt, maxi-
 mè æstimant, & præ aliis in pretio haberi volunt ho-
 mines; sic etiam hæresibus originem frequenter ad-
 modum dedit ac datura porro est *Ambitio*. Licet e-
 nim & alia subinde intercurrant mala aut morbi ani-
 morum, qui ad sobolis illius impuræ aut monstrosæ
 generationem partumve, quod suum est, conferant: emi-
 net tamen, opinor, ambitio, & quamvis se in varias for-
 mas induat atque haud raro abscondat; vix tamen un-
 quam abest: ac si non prima hæreseos cujusvis semi-
 na semper jecerit, tamen ad fovendam & enitendam
 & propagandam eam, plurimum confert: de quo jam
 paulo curatius, DEO juvante, acturi, I. *Testimonia &*
Exempla; II. *Nexum ipsum cause illius atque effectus,*
quoad varias ipsius ambitionis pariter atque hæresium formas;
 denique III. *Remedia, quibus observatis, sublataque adeò*
causâ illâ, hæreses ipsæ caveri tollique possint; quâ fieri
 potest brevitate, exhibebimus.

CAPUT I.

sistens

Testimonia & Exempla.

§. I.



quod ex ambitione nascatur hæresis, Deus
 ipse testatur: cujus afflatu plenus Apo-
 tolus loco ante citato I. Tim. VI. 3. εἰ τις
 ετεροδιδασκαλεῖ, τετόφωται, Si quis diver-
 sam tradit doctrinam, is inflatus est: prout
 cum *Vulgato Erasmus, Flacius, Beza, Schmi-*
dus & Grotius vertunt: Lutherus quoq̃:
 Der ist auffgeblasen. Quod cum pro-
 prio



prio & corporali significatu intelligi nequeat, de tumore superbiae plerumque exponitur. *Tumet typho superbiae & vanae scientiae*, ait *Menochius*. Et *Estius*: *sibi placet, tanquam mirâ praeclitus scientiâ*. Quamvis enim τῷ φῶβῳ non tantum superbum, sed & fanaticum ac dementatum denotet: pridem tamen est, quod experientia probavit, homines dementes ut plurimum superbos esse, & superbiam ipsam mentes hominum alienare & quasi fascinare. *Conf. Bald. Comm. in 1. Tim. VI. p. 1369.* ubi ait: *πετρωφῶβῳ dicuntur superbi, & quasi vento distenti, qui iudicium eorum turbavit & mentem abstulit.* Belle etiam *Erasmus Schmidius Not. ad 1. Tim. III, 6.* ubi τῷ φῶβῳ vel τῷ φῶβῳ proprie quidem *furum*, metaphorice autem *fastum*, *insipientiam*, &c. denotare docuit, verba Germanica addit: *Wenn einem Menschen die tadünclichen Dünste in den Kopff steigen.* Sic enim & superbia & amentia describuntur. Plura apud *Grotium*, *Pricium* & alios videri possunt. Talia autem mentis vitio hæresis adscribitur tanquam causæ: quod etiam *Nic. Hemmingius* agnoscit, *Descriptio*, dicens, *est vani Doctoris: ac primum omnium causam ponit, nimirum inanis glorie cupiditatem.*

§. II. Hinc Ecclesiae Doctores, post Apostolorum tempora, non tantum inter characteres hæreticorum superbiam notarunt, verum in hac etiam originem hæresium quæserunt. Sic ex Græcis *Justinus Martyr* (si quidem auctor est *Quæstionum ad orthodoxos*,) *Q. IV. Perspicuum est*, inquit, ex interpretatione *Sig. Gelenii p. m. 328. b. omnes hæreses occasionem habuisse ex ambitione & mutua invidia hæresiarcharum.* In Græco est: *ἐκ φιλοδοξίας ἢ ἀντιπαθείας τῶν αἰρεσιαρχῶν πᾶσαι αἱ αἰρέσεις τὰς ἀφορμὰς ἔχουσαι τῆς συστάσεως αὐτῶν.* *Irenæus* *proœm. Libb. adv. Hæres. p. m. 2. A. de hæreticis: Scientie prætextu*, ait, *περὶ φάσκει γνώσεως, multos evertunt.* *Clemens Alexandrinus Lib. VII. Strom. circa fin. p. m. 762. C. Δόξης ὀπιθυμῶσιν*, dicit, i. e. *Gloriam appetunt.* Et paulo post, p. m. 764. describit eos, tanquam *ταῖς ἰδίαις ὀπιθυμίαις καὶ φιλοδοξίαις χαριζομένους*, propriis cupiditatibus & glorie inservientes. *Chrysostomus Comm. in Ep. ad Gal. c. V. T. IV. Opp. p. m. 939. B. ἢ γὰρ τῶν*

τῶν αἰρέσεων μήτηρ ἢ τῆς Φιλαρχίας Ἰὴν Ἰππολύτου, Mater ha-
 resum principatus cupiditas est. Theodoretus in Cap. I. Ep. ad Rom.
 Arrogantes sunt (haeretici) qui cum nullam occasionem habeant, ut de
 se magnifice sentiant, sine causa tamen intumescunt. Isidorus Pelusota
 Lib. IV. Ep. LV. operose ostendit, Φιλαρχίαν, sive ambitio-
 nem, multis haeresibus originem dedisse, ac spem sibi esse pro-
 fitetur, si ista expelleretur, fore ut omnes in divinum prae-
 conium ὁμοφρόνως καὶ ὀρθοδόξως consentirent. Conf. Epist.
 LVI.

§. III. Ex Latinis patribus antiquissimus Tertullianus
 Lib. de Praescript. c. XVI. (al. XLI.) p. m. 123. Omnes (haeretici)
 scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti.
 Cyprianus Epist. ad Rogatianum, (quae Pamelio LXV. est, Joh.
 Cestriensi III. Erasmo & Manutio Lib. III, 9.) Haec sunt
 iuicia haereticorum, & ortus atque conatus schismaticorum male cogi-
 tantium, ut sibi placeant, & propositum superbo tumore contemnant.
 Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra
 pacem Christi & ordinationem atque unitatem Dei rebellatur. Conf.
 Epist. ad Florentium, (qui & Pupianus, aliis Papianus, Pap-
 pianus & Papinianus,) quae Pamel. LXIX. est, Cestriensi LXVI.
 Erasmo & Manutio Lib. IV, 9. Breviter & rotunde Augusti-
 nus Lib. contra Epist. fundam. Manichæi cap. VI. T. VI. Opp.
 p. m. 47. a. B. Haereticorum omnium mater est superbia. Conf.
 eund. L. de Utilitat. Cred. cap. I. ubi hanc tradit definitio-
 nem; Haereticus est, qui alicujus temporalis commodi & ma-
 xime gloria principatusque sui gratia falsat, ac novas opiniones vel gi-
 gnit, vel sequitur. Gregor. M. Lib. XVI. Moral. in Job. cap. XX.
 T. I. Opp. p. m. 546. B. scribit; Jobum testificantem, dies DEI non
 posse comprehendere, ad haereticorum mox superbiam respectum mentis
 reducere, qui alta sapere appetunt, & quod capere utcumque non pos-
 sunt, perfecte se scire gloriantur. Conf. cap. III. & IV. Addi his
 potest Auctor Glossæ ordin. super Hof. cap. X. Haeretici, ait is,
 superbiam habent, quasi matrem iniquitatis suae, & jactitant se semper
 scire altiora, & in Ecclesia contumeliam debacchantur, sed arrogantia
 populi & magistrorum simul corrui. Et Bernardus, qui Serm. LXV.
 in

in Cant. p.m. 759. M. *Omniibus una intentio hereticis semper fuit, captare gloriam de singularitate scientia.*

§. IV. Exempla ipsa hæreticorum, quibus ambitio causa fuit spargendarum aut propagandarum hæresium, non minus multa præsto sunt. Ipse hæreticorum Pater, SIMON Magus, obscuris natalibus impeditus, quò minus caput efferre posset, cum magicis artibus aliquando inclaruisset, mox autem à Christianis ideo contemneretur, horum societatem ambiens, & baptizatus, facultatem donandi Spiritum S. pretio emurus erat: mox autem censuram gravem expertus, demum Samaria discedens, Romamq; delatus, ut vel invito Numine magnus haberetur, dogmata execranda sparsit, seque verum Deum, in humana forma apparentem, verumque Christum jaëtans, sectam peculiarem condidit. Vid. *Justinus* M. Apol. II. pro Christ. p. m. 190. a. *Irenæus* L. I. adv. Hæres. c. XX. p. m. 115. *Epiphanius* L. I. Tom. II. Hæres. I. alias XXI. p. m. 55. seqq. *Philastrius* hæres. XXIX. p. m. 13. *Augustinus* de Hæres. ad Quodvultd. c. I. *Theodoretus* lib. I. Hæres. fabb. Quodsi cum *Hegesippo* apud *Nicephorum Callistum* Lib. IV. H. E. c. VII. non hunc Simonem, sed *Thebustem* quendam, primum eorum, qui Ecclesiam hæresibus depravarunt, facere malis; ecce! etiam hunc ambitionis stimulis agitatum; postquam in petitione *Episcopatus* repulsam tulisset: indeque ad spargendam hæresin conversum! Itaque vel sic ambitio mater hæreticorum apparet.

§. V. Inter proximos à *Simone* hæreticos *MENANDER* sub *Tito* Imperatore collocatur, *Simonis* conterraneus & discipulus, sed & æmulus, ita ut, quicquid se *Simon* esse dixerat, hæc se *Menander* esse diceret: teste *Tertulliano* de Præscript. add. *Iren.* Lib. I. cap. XXI. p. m. 117. D. *Euseb.* Lib. III. cap. XXVI. p. m. 98. B. *Epiphanius* autem Lib. I. Tom. II. Hæres. II. p. m. 60. 61. docet, eum se majorem antecessore ac præceptore suo jaëtasse.

§. VI. Seculo secundo post Christum natum ex *Menandri* schola *SATURNINUS* prodierat, auctis erroribus, de creatione mundi atque hominis, per angelos septem; præter
Dei

Dei scientiam & jussum ; resurrectionem nullam esse, de suo nomine potius, quam antecessorum sectam appellari volens: cui tamen BASILIDES, socius aliquandiu, mox litem movit, in immensum extendens sententiam doctrine suæ, ut, aliud aliquid & verisimilius adinvenisse videatur ; teste Irenæo Lib. I. cap. XXIII. p. m. 119. B. aut ut Lamb. Danaus breviter exprimit, ex professo dissentiens, ut ingeniosior videretur. Comment. ad August. de Hæres. cap. IV. p. 55. His etiam contemporaneum CARPOCRATEM faciunt Irenæus & Eusebius, eodem quoque animi morbo infectum, abominaciones hæcenus occultatas apertius tradidisse, sic ambitiosæ GNOSTICORUM sectæ antesignanum factum memorant. Vid. Irenæus Lib. I. cap. XXIV. p. 121. seq. Eusebius L. IV. H. E. cap. VII. p. m. 120. C. De ipsorum GNOSTICORUM superbia, post Irenæum, & ut videtur, ex eo, Epiphanius Hæres. XXVII. (al. L. I. Tom. II. hæres. VII.) num. 2. p. m. 103. C. Miseri isti, impostoris illius fraude decepti, tam intolerabili arrogantiâ sunt, ut se vel ipsos Jesu anteposendos esse existiment. Alii autem eorum non quidem Jesu, sed Petro, Andrea, Paulo, cæteris Apostolis præstare sese dicunt, cum abundantia quadam scientiæ, ἡγ' τὴν ὑπερβολὴν τῆς γνώσεως, tum quod progressionibus varias ac decursibus longe iis cumulati obierint. His Gnosticorum erroribus VALENTINUM quoque fuisse imbutum, Irenæus Lib. I. cap. V. testatur ; qui tamen hæreses, quæ rudiores ei videbantur, novis commentis expolivit. Quod autem & is ambitionis stimulis agitatus, hæreticus evaserit, ex Tertulliano novimus, qui ita de eo Lib. adv. Valent. cap. II. p. m. 448. differit: Speraverat Episcopatum Valentinus, quia ingenio poterat, & eloquio. Sed alium ex martyrii prerogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authentica regula abruptit, (ut solent animi pro prioratu exciti præsumptione ultionis accendi) ad expugnandam conversus veritatem.

§. VII. Successerunt autem eodem seculo MARCIONITÆ : qui duo summa rerum principia, Deosque adeo duos inter se contrarios, asseruerunt : quorum auctor, MARCION, cum à Patre Episcopo, propter stuprum virgini illatum, excommunicatus, nec impetratâ veniâ ab Epi-

Episcopo ejus temporis Romano, ignominiam meritam ferre non posset, *Cerdoni* hæretico, duorum principiorum sive Deorum assertori sese adjunxit: cumque hac ratione scelus suum (quasi quod vi alterius mali principii, in se agentis, neque declinandi à se, commisisset;) excusare se posse putaret, ita deinde propagavit errorem; simul jactare solitus, se sua commenta non à se, sed ab Apostolorum discipulis didicisse, iis nempe, qui Matthiam audivissent. Vid. *Clemens Alexandrin.* Lib. VII. Strom. p. m. 7. Cui addendus est contemporaneus, Encratitarum sectæ conditor, TATIANUS, de quo *Platina* in vita Pii I. p. m. 21. a. memorat, quod *inflatus opinione sui, novam heresin condiderit.* Quanquam nec opus est scriptoris hujus recentioris fide niti; quando jam olim *Irenæus* Lib. I. cap. XXXI. p. 131. & ex eo *Eusebius* Lib. IV. H. E. c. XXIX. p. m. 150. C. hunc in modum (interprete *Valesio*) differuerunt: *Qui Justinii auditor, quamdiu quidem cum illo versatus est, nihil ejusmodi protulit. Post martyrium autem illius, ab Ecclesia se abrumpens, Doctoris arrogantiam elatus ac tumidus, tanquam præstantior cæteris, novam quandam formam doctrinæ confluxit.* In Græco legimus: *Οιήματι διδασκαλίας ἐπαρθεὶς καὶ τοφωθεὶς, ὡς Ἀγ. Φέρον τῶν λοιπῶν, ἴδιον καρακτηῖρα διδασκαλαίς συνεστήσατο.* Encratitarum venenò infectus MONTANUS, ipse porro suam sectam peculiarem condidit. De hoc autem *Eusebius* L. V. H. E. cap. XVI. p. m. 180. A. ex antiquiore quodam scriptore, hæc refert: *Ajunt Montanum quendam, ex iis, qui fidelium numero recens adscripti fuerunt, immodicam primi loci cupiditate captum (in Græco est: ἐν ὀπιθιμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπερίεας) primum sub Grato Asia Proconsule aditum in se adversario Spiritui præbuisse, & demone repletum subito quodam furore ac mentis excessu concuti cœpisse, & nova quadam atque inaudita proloqui, hariolantem ac prædicentem futura, præter morem atque institutum Ecclesiæ à majoribus traditum, & continuam deinceps successionem propagatum.* Montanum hunc erroris Noëtianorum primum auctorem facit *Socrates* Lib. I. Hist. cap. XXIII. p. m. 58. C. De ipso vero NOËTO, à quo NOËTIANI nomen habent, novimus, quòd cum ad Senatum Ecclesiasticum

B

cum

cum vocatus esset, abjuraverit errorem; postea tamen ambitione nominis sibi comparandi ductus, iterum renovaverit & sparserit. Vid. *Epiphan. L. II. T. I. Hæres. XXXVII. (al. LVII.) §. I. p. m. 480. H.* Eum mox excepit PRAXEAS, consors ejusdem erroris, quem *Tertullianus* narrat, *jaçtatione martyrii inflatum*, hæresin condidisse. *Lib. adv. Praxeam sub init. p. m. 467.*

§. IIX. Sequitur è *tertio* seculo PAULUS SAMOSATENUS, Antiochiæ Episcopus; cujus historiam, inque ea hominis hæresin & mores, speciatim superbiam insignem, *Disp. pecul. Anno 1680. ex antiquitate Ecclesiastica ostendimus.* Nunc tantum notamus, quod *Platina* in vita Dionysii I. de eo scribit: *Is inflatus opinione sui ipsius, ac tribunal altius quærens, negabat Dei filium è cælo descendisse, sed à Maria cepisse originem, & initium è tempore habuisse.* Eodem referendus est NOVATIANUS, à quo hæresis NOVATIANA aut Novatianorum nomen & originem accepit. De nomine quidem merito probamus, quod *Gerh. Joh. Vossius* judicavit, *Disp. XIX. de Baptism. th. 3. ut ab ἀμφιβολῶν & λόγῶν, ait, esset ἀμφιβολολογία, sed quia vox ea foret ingrata auribus, extritâ syllabâ, dicitur ἀμφιβολογία; similiter à Novatianus esset à Novatiananus, sed quia nomen esset durum, nec aurium voluptati morigerum, eò dicimus Novatianus; sive, ut Cyprianus maluit, Novatianensis.* At plerique Græcorum falluntur: qui, *Novatum & Novatianum confundentes, Novatianos à Novato dictos arbitrantur: quanquam Novati etiam in Novatiano schismate non minima fuerunt partes.* Nimirum Novatus, Schismatis Africani Auctor, Romam abiens hîc quoque turbas dedit. Utrum dogmatis hæretici, quod Novatianorum dicitur, auctor aut particeps fuerit? disquiritur. Sunt profectò qui negant; cum potius contrarii essent errores Felicissimi, quem Novatus in Africa foverat, quòd lapsi, absque pœnitentia molesta & longinqua, continuo sint recipiendi, modo à martyribus & confessoribus veniam impetrassent; & Novatiani, qui lapsos nequaquam in communionem Ecclesie recipiendos esse putabat, quantumvis ad præstandam pœnitentiam onerosam parati essent. Vid. *B. Joh. Fabricius Not. ad*

ad Conc. super Art. XII. Aug. Confess. p. 230. B. Steph. Kenckel. Differt. pec. de hæresi Novat. Sect. I. §. XIII. seqq. pag. 10. seqq. Sunt etiam qui affirmant, & Novatum Novatiani præceptorem faciunt: licet huic potius, factò Episcopo, quàm illi, hæresis adscribi soleat. Vid. D. Blondell. de Episc. præf. p. 54. & J. H. Ottius Exam. Ann. Baron. ad A. 254. §. 2. pag. 127. Certe, qui Novatianenses aut Novatianistæ, sed & Novatiani dici potuerunt, vulgò tamen Novatiani appellantur. Confer de differentia Novati & Novatiani, etiam antiquis Scriptoribus non satis observatâ, *Pamelium* annot. ad Cypriani Epist. XLI. (quæ *Cestriensi* XLIV. est, *Erasmo* & *Manutio* Lib. II. Ep. XI.) & *Spondanum* Epit. Ann. Baron. ad A. 254. n. 8. Ambitionem autem Novatiani (jam enim Novatum suo loco relinquimus) facile est cognoscere: qui cum Ecclesiæ Romanæ Presbyter primarius esset, sed & Confessoris laudem ex persecutione Deciana impetrasset, cæterum Stoicæ Philosophiæ bene gnarus, simul Christianæ religionis propugnator egregius esset; Cornelii electionem tamen, qui in Fabiani locum Episcopus Romanus successerat, licet legitimam & solennem, agrè tulit, mox Novati operâ, cum animos Confessorum à Cornelio alienasset, ipse verò *tremendis quibusdam juramentis affirmasset, se Episcopatum non concupiscere, repente tanquam ex machina quadam in medium projectus, Episcopus apparuit.* Quæ, & alia plura, ex Cornelii ad Fabium Antioch. Epistola apud *Eusebium* legi possunt Lib. VI. H. E. cap. XLIII. p. 242. seqq. Ne verò putemus, nihil illi ambitioni cum hæresi fuisse commercii; observandum est, partim quòd Novatianus inter Confessores numeratus, inde *Φιλαντία* correptus, lapsis aliis gravior factus fuerit: prout inter elogia ejus *Cyprianus* hæc quoque ponit: *Misericordie hostis, interfector pœnitentiæ, Doctor superbiæ, veritatis corruptor, perditor charitatis.* Epist. LVII. juxta *Pamelium*: quæ *Cestriensi* est LX. *Erasmo* & *Manutio* Lib. I. Ep. I. partim, quòd *Socrates* commemorat, Novatianum (quem quidem Novatum per errorem nominat) *propterea ab Ecclesia Romana se segregasse, quod Cornelius Episcopus fideles, qui in persecutione à Decio Imperato-*

ne contra Ecclesiam mota, sacrificarant, in communionem reciperet : cumq; hac de causa separatus ab Episcopis, qui cum eo sentiebant, Episcopus esset factus (Novatianus) universis Ecclesiis eundem scripsisse, ne eos, qui sacrificarant, ad sacra admitterent. Lib. IV. cap. XXIII. Scilicet odium ita conflabat electo ordinariè Episcopo, ut eò semotò, ipse conscenderet sedem : cum tamen sententia ipsa, quam amplexus erat & tuebatur, erronea esset, & progressu temporis inter hæreses ab Ecclesia computaretur.

§. IX. Novatianorum surculum esse DONATISTAS, qui seculò IV. prodierunt, pridem observatum est ab erudit. Atqui & horum mater, similis ambitio fuit. Cum enim DONATUS à Casis nigris (ad differentiam Donati alterius, qui hæresin jam natam postea defendit,) cognominari solitus, ad Episcopatum Carthaginensem aspirasset; prælatò autem Cæcilianò, spem illam amisisset; non hunc solum indignum munere, & perfidum & apostatam proclamavit, quod sub Diocletiano & Maximiniano Imp. Sacros Codices hostibus fidei atque idololatri Christianorum persecutoribus comburendos tradidisset : mox etiam omnes, qui illum ordinarant, Episcopos accusavit : verum etiam collectò sibi cœtu peculiari, qui solus sanctus esset; in hoc solo superesse veram Ecclesiam & ministerium efficax, in reliquis omnibus locis cœtibusq; periisse Ecclesiam ministeriiq; efficaciam, docuit. Videantur, quæ ex antiquis Scriptoribus collegerunt L. Danaus ad August. de hæres. cap. LXIX. p. m. 315. seqq. B. Fabricius Notis ad Conc. II. Aug. Conf. p. 131. 132. J. H. Ottius præf. Annal. Anabapt. e. 1. 2. & vel imprimis B. Bebelius Antiqq. Eccl. Sec. IV. T. II. art. XI. §. 133. p. 1255. seqq. qui etiam inter alia ex Optati Milevitani Lib. III. p. 87. hunc nobis suppeditat locum, quo superbia Donati notatur, quia primus Episcoporum, quasi plus esset ipse, quam ceteri, & dum nihil humanum voluit habere, exaltavit cor suum, non sicut cor Dei; dum à ceteris hominibus aliquid plus esse cupiebat.

§. X. Succedat dæmonium illud meridianum, ARIUS, cujus vulgo nota est ambitio, atque hinc nata hæresis. Nam quòd

quòd *Philostorgius* Lib. I. t. 3. edit. Gothofr. pag. 4. scribit, & ex eo *Christ. Sandius* Nucl. Hist. L. II. p. 6 edit. prioris, (p. 160. edit. post.) affirmat, Arium, cum suffragia pro Episcopatu in ipsum inclinarent, Alexandrum tamen sibi praeluisse, & suffragia in eum transtulisse; id nemo Veterum, præter Eunomium, retulit. *Eusebius* autem Lib. III. de vita Constant. cap. IV. p. m. 485. testatur, Arium ἐν φθόνῳ βασιλεύσας, livore invidia, opposuisse se Alexandro. Præcipue notari meretur locus *Theodoret* Lib. I. cap. II. p. m. 7. A. B. Arius, qui in Presbyterorum ordinem (Alexandriæ) erat adscriptus, & cui sacrorum voluminum expositio commissa erat, cum Alexandrum videret Ecclesiæ administrationem suscepisse, livoris impetum ferre non potuit: sed invidia stimulis exagitatus, contentionis ac discordiæ causas aucupari cœpit. Et calumnias quidem adversus illum contexere nullas poterat, cum vitam ejus & conversationem omni laude dignam videret. Invidia tamen quiescere eum non sinebat. Hunc igitur nactus demon veritatis inimicus, ejus operâ Ecclesiam mifcere ac perturbare cœpit. Persvasu enim illi, ut Apostolicæ Alexandri doctrinæ palam contradiceret.

§. XI. Sic autem & AËRIUS, cum ad Episcopatum Sebastiensem, quem magnopere cupiebat, pervenire non potuisset, evectô in sedem illam Eustathiô: hinc æmulatione animô conceptâ, neque ullô succensendi modô factô, diversum sentire cœpit. Quamquam enim errorem præcipuum, qui Arianismus erat, communem habuit cum Eustathio; neque vel *Theodoretus*, vel *Socrates*, vel *Sozomenus*, vel *Evagrius*, Aërii aut Aërianorum, tanquam peculiarium hæreticorum, mentionem fecerunt: ac de cætero inter eruditos disquiritur, utrum opiniones reliquæ Aërii, quas novas aut proprias habuit, v. g. de æqualitate Presbyterorum & Episcoporum; de non celebrando Paschate, non orando pro mortuis, non observandis statis jejuniis; hæreses propriè loquendo fuerint? nec ne? Quam in rem videantur, quæ habent *B. Carpzovius* Isag. in Libb. Symbol. p. 681. *B. Hildebrandus*, Disp. peculiari, quâ discussionem hæreson Aërii exhibet; *B. Bebelius* Antiqq. Evang. Sec. IV. Tom. post. art. XI. §. 8. seqq. p. 1134. seqq. attamen non solum homi-

nis Ariani, atque adeo hæretici ingenium notare par est; verum etiam observari meretur, quod laudatus Bebelius l. c. §. II. p. 1138. statuit, *Aerium*, cum egre ferret, non se, sed *Eustathium* evasisse Episcopum; ideo sprevisse istum ordinem (Episcopalem) vel certe depressisse, qui tamen tum temporis eminebat, Ecclesiastico saltem jure, præ Presbyteratu, & alios quoque ritus in Ecclesia receptos temerè reprehendisse: sicut videlicet, addit, Puritani ejusmodi ne indifferentes quidem ritus & ordinem Ecclesiasticum tolerare solent; tanquam qui calcant Platonis fastum, sed majori nonnunquam fastu & pede invido.

§. XII. Quod si ad alios convertamur, qui mala Ecclesie tunc auxerunt, *APOLLINAREM* juniorem nobis memorat *Socrates* Lib. II. cap. XLVI. p. m. 161. H. qui, cum ab Episcopo Laodicensi, *Theodoto*, ipse simul & pater reprehensi; mox autem, quia censura illi locum non dabant, à *Georgio* successore excommunicati essent; id factum *Apollinaris* filius contumelie locò duxerit & sophisticâ dicendi facultate fretus, novam ipse quoque hæresin condiderit. Quia tamen *Socrates* ipse id in dubio relinquit, nec nos urgebimus. *EUNOMIO*, Arianismi crassioris, quo filius Dei Deo Patri dissimilis statuebatur, propagatori, superbiam & arrogantiam tribuit *Basilus M.* adv. *Eunom.* L. I. f. 6. & *Theodoretus* Lib. IV. Hæret. fabb. c. III. refert, illum eousque arrogantia fuisse progressum, ut dicere aude- ret, se nihil ex rebus divinis ignorare, quin ipsam etiam Dei essentiam exactè se nosse, eandemque de Deo notitiam habere, quam Deus ipse habet de se ipso. *EUDOXIUM* quoque socium, qui tamen & ipse cœtui peculiari nomen dedit, *Theodoretus* l. c. describit, quod fuerit *κενή δόξη δαλδόμεν*, vana gloria serviens. *LUCIFERO*, qui Donatistis quodammodo similia, sed & transfusionem animarum de carne, docuisse fertur, hæreseos occasionem amorem gloriae fuisse observarunt *Dion. Petavius*, Tom. II. Dogm. Theol. L. IV. c. IV. §. 10. & *Lamb. Danaus* Comm. ad *August.* de hæret. cap. LXXXI. p. m. 347. cum videlicet *Paulinum* Antiochiæ Episcopum à se ordinatum *Eusebius* Vercellensis recipere detrectasset.

§. XIII.

§. XIII. Ex quinto seculo præsto est NESTORIUS Episcopus Constantinopolitanus, unionem personalem naturarum in Christo solvens, de quo *Socrates* L. VII. Hist. c. XXXII. p. m. 374. B. *Arrogantiâ elatus* (τὸ φώρησθαι) ob dicendi facultatem non satis accurate vetustioribus legendis operam dabat, sed seipsum reliquis omnibus præstare arbitrabatur. Ei gravissimè adverstus, & in contrarium errorem de unica in Christo ἰσὺς ἁπλοῦς natura prolapsus EUTYCHES, Archimandrita, i. e. Abbas Alexandrinus, similiter superbiae superstitionisq; (monachicæ) plenus, homo arrogans & ἀυψιδὸς appellatur à *L. Dancò* l. c. cap. XVII. p. 399. cui consentit *Theodorus Alhusius*, f. B. D. *Matthias Zimmermannus* in Hist. Eutyichianismi Sect. I. cap. II. §. 24. p. 23. 24. ubi simul ad orationem *Martiani* Imperatoris Tom. II. Concil. art. I. Chalced. p. 14. a. provocat; & §. 26. p. 26. ἀστὸ superbiae, ambitionis, ignorantiae percitum, factum suum, quem fovebat, infelicissimum tandem exclusisse, scribit. PELAGIANÆ hæresi, quæ gratiæ inimica vulgò & rectè judicatur, originem dedit *superbia Philosophia*, in qua subactus *Pelagius*, (Monachus vel Scotus vel Anglo-Britanus, inde Presbyter Romanus;) monente *Frid. Spanhemio* Epit. Hag. in H. E. N. T. Sec. V. Sect. VII. §. 3. pag. 223. Ecce! ambitionem antiquarum hæresium causam!

§. XIV. Quod si sequiorum seculorum exempla intueri placuerit, ex undecimo BERENGARIUM, Andegavensem Diaconum sistere possumus, erroris, de absentia corporis Christi in S. Cœna, non quidem inventorem primum (nam & *Bertramus* & *Johannes Erigena* Scotus jam antè semina ejus jecerant) propugnatorem tamen acturbatorem Ecclesiæ præcipuum. Quamvis enim *Hildebertus*, Canomensis Ecclesiæ tunc Diaconus, postea Episcopus, in Epitaphio, quod ei scripsit, sanctitatis & modestiæ laudem illi tribuat, inter alia his verbis: *Nec tumidum fecit multus & alius honor*: tamen *Wilhelmus Malmesburiensis*, ista commemorans, videns, ait, in his versibus, quòd laudis excessit modum Episcopus. Certè *Lanfrancus* eî superbiæ fastum, quo plenus contra terrarum orbem sentire cœperit, expresse objecit. Lib. de Sacram. Euchar. contra eundem sub init.

Tom.

Tom. VI. Bibl. PP. Eddit. III. Paris. p. 299. Quodsi verò hoc ab adversario profectum minus habere videatur certitudinis; illud negligendum non est, quod & *Malmesburiensis* ad Ann. 1088. n. 18. memoravit, & nostri *M. Chemnitius* de Fund. S. Cœnæ Annot. Histor. §. XII. p. m. 113 ac *M. Joh. à Fuchte* Theol. Helmstad. Præfat. Libri *Paschasi* de Sacram. Euch. p. 20 21. notârunt; *Berengarium* ipsò *Epiphaniarum* die morientem, gemituq; productò recordatum, quòd miseros quosdam adolescentes primò etatis flore sectâ suâ infecerit: Hodie, dixisse, in die apparitionis sue apparebit mihi Dominus meus *Jesus Christus* propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios, ut metuo, ad pœnam. Nimirum, colligente laudatò *Johanne à Fuchte*, cum apertè fateatur, se suâ perversâ doctrinâ fefellisse alios, neque potuisse seductos in viam veritatis reducere, dilucide ostendit, se, reluctante conscientiâ, veritati contradixisse, & falsum dogma malitiosè, non autem ex ignorantia quadam tutatum fuisse. Confer *B. Henrici Mülleri* Rostoch. Theol. Hist. V. & N. Berengarianismi §. 26. seqq. ad 38. p. 15. ad 24. Equidem *Wilh. Malmesburiensem* ex adversariis *Berengarii* sapere, contendit *Cl. Spanimius* Epit. Isag. in H. E. N. T. Sect. XI n. II, §. II. & accusationem *superbie* non minus quàm ceteras ex eodem fundamento irritas pronunciat: laudat autem *Platinam*, qui *Berengarium* cum *Odilone Abbate Cluniacensi* inter viros doctrinâ & sanctitate insignes referat in *Johanne XV.* quamquam essent, qui dicerent, *Berengarium* amplitudine doctrine confisum in fide errasse: quasi videlicet *Platina* hoc modo inculpationem illam fallam esse, ipse declaret. Sed mirum est (1.) *Malmesburiensem* in fontem & narrationis fide & judicii maturitate ab *Henrico Savile* editore, Viro doctissimo, meritò celebratum; studii partium aut nimie credulitatis accusari, ut *Berengarius* ille, tam sublestæ fidei homo, qui jam dissimulavit sententiam, quam docuerat; jam revocavit, jam iterum defendit, hominesque fefellit, excusari queat. Nam & (2.) præter *Malmesburiensem* *Sigebertus Gemblacensis*, *M. Adamus Bremensis* & alii hominem hæreticum agnoverunt: & (3.) *Platina* ipse non solum in eo errasse censendus erit, quando ad Jo-

Johannis XV. P. R. ætatem, quæ in A. C. DCCC LXXXIV. incidit, refert eum, quem demum sub Leone IX. cujus Papatus A. C. CIO L. & sequentibus annis locum habuit; *damnatum*; à Nicolao autem II. *emendatum* A. CIO LIX. memorat; verùm etiam (4) *hereseos autorem* eum expresse appellat in vita Leonis IX. (5) *Lanfrancum* etiam laudat, qui *Berengarii errores præclaro opusculo notaverit*: in quo tamen fraudes atque doli ejus, non minus ac fastus, prolixè ostenduntur. Videat Vir Cl. annon hoc sit, veteres errorum patronos excusare, ut errores ipsi minus agnoscantur. Novimus equidem, jam olim *Simonem Goulartium* Flacii Catalogo Testium veritatis inseruisse Berengarium, unà cum pluribus aliis ejusdem sententiæ Patronis, quorum apud Flacium nec vola nec vestigium apparet. Verùm hanc tam audacem iniquitatem Goulartii, testibus Flacianis suos nullo discrimine immittentis, pridem notavit *B. Jacobus Thomasius* Sched. Histor. §. 52. not. d. num. 49. p. 62.

§. XV. Ad PETRUM ABELARDUM pergimus, Seculi XII. Doctorem (quem alii Abalardum, Abailardum, Abaljardum, Baillardum & Beliardum appellant) virum ingenio subtilem, insignemque Philosophum, sed qui, *cùm de Trinitate loqueretur, Arium; cùm de gratia, Pelagium; cùm de Persona Christi, Nestorium sapere deprehensus est*: teste Bernharo Epist. CXCII. p. m. 1561. C. Superbiam ejus idem describit Ep. seq. CXCIII. p. ead. E. F. *Homo est, inquit, egrediens mensuram suam, in sapientia verbi evacuans virtutem crucis Christi. Nihil nescit omnium, quæ in cælo, & quæ in terra sunt, præter se ipsum. Damnatus est Suesione, cum opere suo, coram legato Romane Ecclesie. Sed quasi non sufficeret ei illa damnatio, iterum facit, unde iterum damnatur, & jam novissimus error pejor est priore. Securus est tamen, quoniam Cardinales & Clericos curie sue discipulos habuisse gloriatur, & eos in defensione & præteriti & præsentis erroris adsumit, à quibus judicari timere debuit, & damnari. Agnoscunt, Abelardum hereticum fuisse, etiam ex Reformatis *Jac. Altingius, Theol. Hist. Loc. III. p. 239. & Joh. Hoornbeckius Appar. ad Controv. Socin. pag. 14.**

C

At-



Attamen excusant eum, *Franc. Ambasius*, Advocatus Parisien-
 sis, qui opera illius edidit A. 1616. in præfat. Apologet. &
 laudatus *Spanhemius* l. c. S. XII. N. VII. §. III. p. 529. *Abelar-*
do, scribit hic, per malevolentiam cleri & monachorum, per detra-
 ctorum livorem, ac credulitatem ipsius *Bernardi*, multa fuisse præter
 mentem afficta, svadent non pauca: scil. laudes hujus *Abelardi*, con-
 gesta ex indubiis testibus, apud *Joh. Lannojum*, *Lucam Dacherium*
 & alios; Epitaphia illi post mortem scripta; invidia, quâ apud socios
 flagravat, ob celebritatem & frequentiam Scholarum, atque edita scri-
 pta; Apologia ipsius *Abelardi*, in sub. Epistolis, & Historia suarum
 calamitatum; Apologatum *Berengarii Pict. v. n. s.*, ejus discipuli, in-
 sertum Operibus *Abelardi*; *Bernardi* humani affectus inveci in *Abailar-*
dum, ut sine regula monachum, sine sollicitudine prælatum, intus *He-*
rodem, foris *Johannem* &c. Epist. CXCIII. Certè Socinianorum
 Doctrinæ de Peccato orig. & Justificatione nostra per sangvi-
 nem Christi, *Abelardina* illa ita similis est, ut ovum ovo;
 prout hanc in Comment. ejus in Epist. ad Rom. inter opera
 junctim edita, cognoscere licet. Librum autem de Trini-
 tate in Concilio Suesionensi improbatum, & ab ipso *Abelar-*
do in flammis coniectum novimus. Nec credibile est, po-
 tuisse *Bernardum* Conciliis Suesionensi, Parisino, Rhemenfi
 persuadere, ut *Abailardum* non satis probatâ hæresi, conde-
 mnarent. Conf. *B. Scherzer*. Coll. Anti-Soc. Disp. I. §. VII.
 p. 8. Resipiscentia *Abelardi*, quam agnoscit *Ambasius*, sup-
 ponit potius antecedens delictum, quod hæresis erat, quam
 ut neget. Fidei Confessio ad *Heloissam*, equidem opposita Pa-
 tris, Filii & Spiritûs S. disertè exponit: non autem facit, ut
 Auctorem antea non docuisse alia, certi simus. De peccato
 originis etiam & satisfactione Christi non sic differit, ut à
 reatu se liberet. Laudes & Epitaphia partim doctrinam atti-
 nent, quæ nec ei denegatur; partim reconciliato cum Ec-
 clesia data sunt, ut tamen factum non redderent infectum.
 Simulatio autem & dissimulatio, hæreticis familiaris, etiam
 in *Abelardo* observata fuit à *L. Osandro* Epit. Hist. Eccl.
 Cent. XII. Lib. II. cap. VII. pag. 247. Ambitionem hominis
 jam

jam olim descripsit *Otto Frisingensis* Lib. I, de Reb. Gestis *Fri-*
derici I. Imp. Cap. XLIX. apud *Urftisium* Tom. I. *Historic.*
Germaniæ Illustr. pag. 433. Sic enim de *Abailardo* : *Is, ait,*
literarum studiis, alijsq; facetijs, ab ineunte ætate deditus fuit; sed
etiam arrogans, suoj; tantum ingenio confidens, ut vix ad audiendos
magistros ab altitudine mentis suæ humiliatus descenderet. Habuit ta-
men primo Præceptorem *Roxelinum* quendam, qui primus nostris tem-
poribus in *Logica* scientiam vocum instituit, & post ad gravissimos vi-
ros *Anselmum* *Laudanensem*, *Guilhelmum* *Campellensem* *Catalauni* *Epi-*
scopum migrans, ipsorumq; dictorum pondus, tanquam subtilitatis
acumine vacuum judicans, non diu sustinuit. Et post quædam
interjecta, de monachatu ejus & collocato ei officio docendi;
Sententiam ergo vocum seu nominum in naturali tenens *faculta-*
te, non cautè Theologia admiscuit. Ecce ! fontem erroris, ambi-
tionem!

§. XVI. Quando propius ad nostra tempora accedi-
mus, *Anabaptismi* & *Enthusiasmi* in Ecclesiam introducti pri-
mus auctor *NICOLAUS Storck* (aut *Storch*) / quem aliàs
Pelargum seu *Ciconiam* vocant) *Cygnæ* sive *Zvickaviæ* na-
tus, rectè existimatur. At hic ambitionis suæ specimen
mox edidit, cum narraret, sæpe angelos visibili specie secum lo-
cutos esse, & ipsi prædixisse, fore eum ducem instaurationis *Eccle-*
siarum : referente *Phil. Melanch.* in *Enarr. Ep. I. ad Corinth.* cap.
XIV. T. IV. *Opp.* p. 283. Quibus respondent, quæ apud *Joh.*
Gastium de *Anabaptismi* exordio, erroribus &c. *Basil.* 1544.
p. 247. tanquam à Philosopho dicta leguntur : *Ego vidi Ni-*
colaum Storck / qui primus videtur in *Germania* sparsisse venenum
illud impiorum dogmatum. Hunc audierunt *Monetarius* & alii, quibus
velut emissariis usus, perturbavit totam *Germaniam*. Hic prædicabat,
sibi per somnia ostendi, quæ vellet. Affirmabat, ad se angelum venisse,
qui dixisset, eum in sedem *Gabrielis* angeli collocandum esse. Eâ voce
judicabat, sibi promissum esse imperium orbis terrarum. Dicebat, san-
ctos & electos imperatores esse, oppressis omnibus impijs, &c. Arro-
gabat sibi dijudicationem *Spirituum* &c. Verbi auditum, baptismum,
Eucharistiam, simpliciter irridebat. *Nugas* fingebat quasdam, quibus se
C 2 præ-

prepararent homines ad recipiendum Spiritum, nimirum si pauca loquerentur, si sordide se vestirent ac victitarent &c. Conf. Phil. Camerari. in Vita Phil. Mel. p. 46. 47. Talia Thoma Münzer (Monetario) tantò facilius persuadebantur, quod & illum Φιλαυλία & κενοδοξία impleverant: quæ etiam progressu temporis funestis ausibus comparuerunt. Nec mirum est, in eandem societatem concessisse ANDREAM BODENSTEIN CAROLSTADIUM, quem ab ingenio describens Phil. Melanchthon in Epist. ad D. Fridericum Myconium, hominem ferum & βέλταρον, i. e. jactabundum appellat, qui controversiam de coenâ tantum odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione moverit: etenim cum εὐνομαχία ipsius à Luthero improbata esset, cœpisse istum, inflammatum immani cupiditate vindictæ, querere causam vendibilem, quâ Lutheri existimationem prorsus obrueret: cùmque bona pars Germanie testari possit, nihil in hanc rem fingi, se tamen, ait Philippus, ideò ista de eo scribere vicinis suis, ut admoniti caveant ab isto portento. Miras enim, addit, artes tenet, & mirè fucata officia, quibus se insinuat in hominum animos, tamen si naturam dissimulare diu non potest. Habet ingenium vehemens & inquietum; quare AMBITIONEM & iracundiam citò prodit. Addendus his etiam SCHWENCKFELDIUS, de quo Johannes Wigandus sub initium Libri sui de Schwenckfeldismo scribit: Caspar Schwenckfeld de Oßing, Silesius, ex veteri & nobili familia, cum aliquid in juventute didicisset, & in Germanicâ potissimum lingua, ore & scriptis mediocriter facundus esset, puriore doctrinâ, idolomanis & variis erroribus atque seductionibus Papisticae religionis per ministerium & scripta Lutheri (divinitus eam ad rem, totiusq; AntiChristi Romani patefactionem excitati) ex illustri ac potenti verbo Dei in lucem productis atque reprehensis, efflorescente, voluit & ipse sibi insignem famam ac celebre nomen præ aliis comparare. Cùmque cerneret, Lutherum rectè & graviter Papisticos errores arguere, ac simul tamen in conspectu haberet, non sic emendationem vite in plerisque hominibus sequi, ut verbum Dei doceat, & in suo capite Enthusiastica quedam somnia novasq; quasdam opiniones de multis doctrinae partibus concepisset, quibus se, si eas promississet, atque in medium posuisset, admirabilem



bilem & clarum fieri posse credebat, ut qui sublimiora & profundiora ceteris cognosceret atque meditaretur, voluit esse neutralis atque scepticus, publiceque testatur, se neque cum Papistis, neque cum Lutheranis sentire, eò quòd in utrisque, quoad doctrinam, ceremonias, totiusque religionis constitutionem plurima desideraret. Præbent etiam ei occasionem Anabaptistæ, cœlestes Prophete ac Fanatici, similiter novam & absolutiorem Ecclesiæ formam, quam à Luthero seruo Dei adornabatur, molientes, eamque ad rem suos raptus, ecstases, somnia, visiones, ostentantes, quibuscum ille initio colludit & confusurrat. Incipit igitur Schwenckfeldius hinc inde discurrere &c. Conf. B. J. Mieralii Syntagm. Hist. Eccl. Lib. III. p. 513. Quamvis enim non desint, qui putent, Schwenckfeldio non tam defuisse bonum animum, quam sanum caput; uti Bucholzerus apud Scultetum Hist. Ref. ad A. 1525. & Pomeranus, habitâ cum Schwenckfeldio collatione privatâ, atque ad ipsum dixisse fertur: Credo equidem te non malo animo hæc agere: etiam piûm te estimo: si quidem fides habenda est relationi, quæ extat inter opera Schwenckfeldii Tom. II. edit. A. 1525. epist. IV. p. 33. Confer Melch. Adamum in vita Bullingeri pag. 484. Attamen hæc non obstant, quò minus in classem τῶν τῆς Φωφύλων referatur: quemadmodum ex cap. seq. II. constabit.

§. XVII. Nec abs re erit, hîc statim adungere paulò juniores quidem ortu, sed errorum, si non omnium, multorum tamen consortes, DAVIDEM GEORGIUM & VALENTINUM WEIGELIUM, quorum uterque sectam de suo nomine reliquit. De illo quidem, qui prioribus propinquior erat, gener ejus Nicolauus Blesdikius in Historia Soceri, à quo se delusum agnovit, ad meliorem mentem reversus, p. 112. Erat David homo exigue quidem peritiæ, sed philantia maxime, atque hinc tantum tribuebat libris suis. Nimirum perpetuò illud, Nota bene, apposuit, titulum quoque hunc præfixit: Liber Mirabilium, quò quod à mundo conclusum, revelatur. Conf. Ubbon. Emmii Lib. de Spiritu Dav. Georg. p. 47. & J. Hoornbeek Summ. Controv. Lib. VI. p. m. 387. cujus hæc sunt verba: Enthusiastarum & Libertinorum apud nos coryphæus fuit David Georgii, Hol-



landus Delfis natus, parentibus infima sortis, ipse literarum rudis, sed ingenio ad prestigias facto, & fastuoso, qui vitri pictoriam artem primum exercuit, partibusq; Anabaptistarum se adjungens, propter concordiam aliquam inter illos sua potissimum operâ ictam in oppido Westphaliæ, Bockholt, Doctor haberi, & propriam, sed infandam omni ex parte, quâ doctrinâ, quâ vitæ ratione, sectam erigere tentavit, ubi se Davidem secundum Spiritum esse, verumq; Messiam, Christo præstantiorem, suam doctrinam præ Mosaicâ & Christi esse perfectiorem, polygamiam licitam, & peccati sensum, infernos, demones, nihil esse docuit. Weigelius autem, quem A. 1533. natum, ac demum A. 1618. nonagenarium propè defunctum fuisse memorat B. Kromayerus Hist. Eccl. Cent. XVI. pag. 652. fastuosum ingenium non tantum puer prodidit, cum in Schola Neostadiensi ad Orlam, conciones sacras & quæcunque vulgaria putabat, fastidiret, non nisi Hermois Trismegisti, Sibyllarum, Agrippe, Cardani, & imprimis Theophrasti Paracelsi scripta nocturnâ diurnâq; manu volvens & revolvens, teste eodem l. c. : sed multo magis cum scripta ederet, stolidæ jactantiæ sermonibus plena; pollicitus studium universale, hoc est, quicquid omnino à mundi exordio usque ad ejus finem vixit, quicquid scriptum aut doctum, vel etiamnum scribi aut disci possit, quid rectè discere ac docere sit, quid omnes hoc tempore debeant studere, quàm planè facilis, planè difficilis Theologia, omniaque discenda sint, quod unicè ac solum per preces omnia citra tadium ac molestiam consequamur ac discamus &c. Similiter Capturam auream (Gulden Griff) ad res omnes absque ullo errore agnoscendas, multis doctissimis incognitam, attamen omnibus scitu necessariam.

§. XIX. Cæterum ad B. Lutheri ætatem pertinent ANTI-NOMI, quorum Ducem & Coryphæum, JOHANNEM AGRICOLAM, patria & cognomine ISLEBIUM, B. P. Piscator refert, ex merito fastu odioq; in Lutherum, præceptorem suum, perfrictâ fronte omniq; pudore projecto Legem abrogare, contra verò horribili metamorphosi Evangelium in legem commutare ausum fuisse. Disp. VI. in Form. Conc. posit. III. p. 262.

§. XIX. Antequam hoc certamen in nervum erumperet, ac prius.

priusquam Augustana Confessio exhiberetur Imperatori; jam caput movere cœperunt, qui postea ferociores facti Ecclesiam gravius impugnârunt, ANTI TRINITARIJ recentiores; quorum facile princeps MICHAËL SERVETUS, Tarraconensis Hispanus, ex Medico infelix Theologus, Alcorani amator, & usque adeo inflatus opinione scientiæ, ut in dissentientes quosvis contumeliosus esset, audacissimus in citandis aucto-ribus, quos nunquam legit, nec à sua sententia ullâ ratione abduci se passus. *Monstrum ingenii hominem fuisse & contra Philip-pam Melancthonem & Joh. Calvinum acerbissimè scripsisse; testatur Chemnitius P. I. L. L. p. 35. Plura legi possunt apud C. Schlüsselburg, Lib. XI. Catal. Hæret. p. II. seqq. Hoornbeek Appar. ad Controv. Socin. pag. 16. Joh. Cloppenburg. Compend. Socinianismi præfat. p. I. seqq. De SOCINIS, LÆLIO & FAUSTO, novimus equi-dem, quæ auctor vitæ F. S. qui se Equitem Polonum dicit, repetitis laudibus memorat, quàm longè ab omni ambitio-ne remoti, contemptores honoris ac bonorum quorumvis temporalium fuerint, qui ne quidem inter sanctos referri aut ordines seu Societates religiosorum, suo nomine fieri desideraverint: quasi videlicet (ut verbis quibusdam ejus utamur) *suo ævo jugiter spreto atque inglorii, & solis odiis nobiles, ne-moritari quidem secundioris famæ auspiciam delibaverint.* Vid. Bibl. Fratrum Pol. Tom. I. sub init. Sed, quando idem ille Scri-ptor l. c. non dubitat, dissidentes à Fausto, *Franciscum Davi-dis & Christianum Francken*, eò nomine accusare, quòd captan-dæ gloriæ causâ peculiaris sua dogmata proposuerint, quòd *Francisco existimationis inter suos retinenda, quàm quærenda verita-tis cura fuerit antiquior; quòd alter ille doctrinæ atque ingenii speciem ostentare cupiens, tumidius quàm par erat, Pastores ad disputan-dum provocaverit, mediocrem singulorû eruditionem despiciens &c.* videat igitur, quomodo à simili reatu liberare possit homines, qui *autodidactoi, & recepta quævis, quasi trita fastidientes; nec nisi sublimia & singularia quærentes, hinc novam Christia-næ religionis restaurationem moliti, dissentientes quoslibet præ se contemserunt.* Præsertim quod ipse recenset verba
epi.*

epistolæ J. Calvini ad Lælium, quibus fastuosam scioli hujus μαλακολογίαν reprehendit, & de periculi gravitate eum admonet; Non est, inquit, quod expectes, dum ad illa, quæ objicis, questionum portentosa respondeam. Si tibi per aëreas illas speculationes volitare libet, sine me, quæso, humilem Christi discipulum ea meditari, quæ ad fidei meæ adificationem faciunt. Ac ego quidem silentio meo id, quod cupio, consequar, ne tu mihi posthac sis molestus. Liberale verò ingenium, quod tibi Dominus contulit, non modo in rebus nihili frustra occupari, sed exitiis figmentis corrumpi vehementer dolet. Quod pridem testatus sum, serio iterum moneo: nisi hunc querendi pruritus maturè corrigas, metuendum esse, ne tibi gravia tormenta accersas, &c. Quod autem Faustus, cujus indolem vehementibus olim motibus animi astuasse, ac penè ad aulicas Sirenes consensisse, agnoscit Encomiastes; & qui quoad studia, velut in seculi superbientis contumeliam, absque Præceptoribus cultuq; Philosophiæ & ipsius Logicæ artis; monitu autem Patruis Lælii nixus, (qui ingenio nepotis confusus, plura divinanti innueret, quàm traderet discenti, nonnulla etiam in experimentum judicii adolescentem celaret; non dissimulatō inter amicos præfatio, plenius hæc atque feliciter à Fausto orbi prodenda;) tūm repente sic Theologus prodiit: cū prior ætas levi tantūm literarum tincturâ, simulq; Jurisprudentiæ studio occupata esset ad annum usque tertium & vicesimum; cūq; post iter Gallicum in Italiam redux, totos duodecim annos in aula Florentina consumsisset Faustus; demūm mortuō patruō, ejusq; scriptis hæreditate obtentis, Basileam concedens, Theologiæ studio incumbere, tantæ molis opus, quod ad extirpandos errores, qui à reformatis Ecclesiis hausti magno adhuc numero regnarent, tendebat, magno animō auspicatus; quæ omnia Eques ille Polonus refert; nonne hæc argumento esse debent, infaustum illum Faustum quàm maximè fuisse τωφωβέντα? Cūq; tandem laudator ipse, sermoni finem imponens, magis periculum esse, scribat, ne nimios, quàm ne nullos utriq; Socino honores habitura sit posteritas; unde persvadebit aliis, quod ne quidem ad honores à posteritate sibi exhibendos spectaverit, eorumque præsumptione, aut spe, animum repleverit, alteruter aut uterque So-

ci-



cinus? Nam & totius gregis hæc indoles est, ut se solos sapere putent, reliquos volitare tanquam umbras. Nec de nihilo erit jaçantia istius exempla saltim tria notare, quæ *B. Hackspanius* monstravit *Disp. de Accommodatione* §. 5. & 6. quæ in *Sylloge Dispp.* p. 420. leguntur: *Erasmus Johannis Argum. 4. improbârat ad versionem dicti Johann. IIX, 58. Antequam Abraham fiat, ego sum; fassus, per omnem vitam se non magis contortans Scripturæ interpretationem audivisse. Quid ad hæc Socinus? Respondet, nullam dari acutiorem veriore, quæve magis divinum quid sapiat; ac sibi persuadet, eum, qui hanc in lucem primus protulit, precibus multis ab ipso Christo impetrâsse. Nominat autem ejus auctorem in Defensione Animadversionum ad assertionem secundam, instituta contra Gabrielem Eutropium, (vid. Tom. II. Opp. cap. IX. p. 678 a. fin.) Lelium Socinum. Smalcus verò miles ille gloriosus, in *Refut. thes. D. Franzii* pag. 85. scribere nullus dubitavit: Equidem ita sentio, nostros coetus jam solidissimè & sufficientissimè respondisse ad omnia, quæ viri hoc seculo acutissimi & doctissimi in his & aliis regionibus adversus nos in lucem ediderunt, ita ut jam nihil, præter convitia, calumnias & minas, ipsis restare videatur. Hisce non contentus *Jonas Schlichting à Bukowiec* in *Confutatione D. Meisneri* adjicit, nos in manifestissimis talpâ esse cæciores; & in iis, quæ nulla sunt, angue Epidaurio cernere acutius. Sed mittamus hoc hominum genus!*

§. XX. Pertinent adhuc ad superioris seculi historiam, contrariis erroribus onusti, atque inter se acriter pugnantes viri *ANDREAS OSIANDER & FRANCISCUS STANCARUS*: à quibus *Osiandrismus & Stancarismus*, à Nostratibus pridem ac nuper improbati & confutati, nomen traxerunt. De *Osiandro* autem *Phil. Camerarius* in *vita Phil. Mel.* p. 297. memorat, quòd is Norimbergam veniens, carus ob ingenii acrimoniam & studium industriamque fuerit eruditus, præcipue *Bilibaldo Pirkheimero*, dignitate honoribusq; & sapientiâ doctrinâque præstanti viro, quos tamen deinde rusticitate morum & præfractâ animi elatione ab se plerosque alienaverit. De eodem in *Exegefi Colloquii Marpurg.* A. 1519 p. m. 433. hæc legimus: In eo conventu

D

Land-



Landgravius singulos Theologos voluit audire concionantes. Lutherus ibi de Justitia coram Deo docuit. Osiander igitur eundem textum, quem Lutherus explicarat, & sibi tractandum sumit, ac de Justitia tam sublimia philosophatur, & tam mirabiles gyros profert, ut omnes boni offenderentur, ac non obscure prasagirent, novi aliquid monstri Osiandrum alere, quod aliquando erupturum esset. Lutherus quoque fastuosum Spiritum se improbare testatus est. Ista verò eam ob causam assignantur, quia apud pios ista historia semper herebat in memoria, donec in Prussia monstrum suum multos annos post, infelici partu in lucem ederet Osiander. Conf. Melch. Adam. in vita p. 226. seqq. ubi & illud extat: In Borussia proficiscens, Uraislavia apud D. Moibanum, amicum veterem, jactarat, Leonem mortuum esse: vulpes à se flocci pendi. Et porro: Animus elatus & sui confidens, vehemens etiam & iracundus, in summa, Pelide stomachus cedere nescii tum ex ceteris ipsius scriptis & actionibus, tum verò ex Epistola ad Joachimum Mörlinum Theologiae Doctorem, datâ elucet; quæ etiam ibi recensetur pag. 233. Adde Contr. Schlüsselb. Cat. Hær. L. VI. p. 45. Inter eos qui se Osiandro opponebant, haud postremus fuit alter ille, quem diximus, Franciscus Stancarus, Mantuanus Italus, Ebrææ linguæ in Academia eadem Regiomontana Professor, qui, cum Osiander (inter alios errores) docuisset, Dei justitiam essentialem esse, quâ nos justificemur, quatenus Deus in nobis habitat; atque ita Christum esse nostrum Mediatorem secundum divinam naturam: ipse ex adverso statuit, Christum esse mediatorem nostrum tantum secundum naturam humanam: quamvis etiam longius progressus, ipsam personarum Trinitatem sustulisse, & in Sabellianismum incidisse referatur à Jo. Hoornbeekio Appar. ad Controv. Socin. p. 29. At ille in Apologia contra Osiandrum & Mörlinum, cum dogma suum orthodoxum & consensu Patrum atque Conciliorum Scholasticorumque munitum jactaret, adversarios suos adeò ignominiosè habuit, ut Doctorellos, Lutheranellos, indoctos, imperitos Theologiae, ignaros doctrine Ecclesiasticae & Patrum, vocaret; In Apologia quoque contra Tigurinos scriberet, plus valere unum Petrum Lombardum, quam centum Lutheros, ducentos



*tas Melanchihones, trecentos Bullingeros, quadringentos Petros Marty-
res, & quingentos Calvinos, qui omnes, si in mortario contunderentur,
non exprimeretur, dixit, una uncia vere Theologia. Ecce! speci-
men hominis Scholasticæ Theologiæ typho inflati! Conf.
B. Schlüsselb. Catal. Hæret. Lib. IX. p. 39. & 41.*

§. XXI. SYNERGISTARUM antesignanum VICTO-
RINUM STRIGELIUM vulgò reputant : nec malè. Quæ
enim antea erroris semina ab aliis sparsa fuerunt, eò rigan-
te in fruges maturiores exierunt : quamvis valdè involutum
& incrustatum, atque adeò dissimulatum dogma, ferius pau-
lò agnosceretur : quod tamen ex actis *Colloquii Vinariensis A.
1560.* satis clarè apparuit. Strigelium autem *Melchior Adams*
quidem in vita valdè laudat, & *B. David Chytræus* ex reveren-
tia erga præceptorem, omisâ censurâ, velut *doctrinâ & virtu-
te excellentem virum* laudat, *Chronici* sui Lib. XXII. p. 657. Sed
B. Joh. Ernestus Gerhardus Disp. pecul. de Strigelianismo, Sect. I.
§. 8. *subdolum hominis ambitiosæq; contentionis æstrò percitum animum
vivis quasi coloribus à B. D. Simone Musæo depictum legisse in actis
Colloq. Vin. p. 283.* testatur. Et certum est, talia ibi extare,
licet paginæ numerus in edit. A. 1562. non respondeat. Non
solum enim p. 241. habetur Epistola *D. Simonis Musæi & M.
Flacii* supplicatoria ad Illustrissimum Principem, ubi de mali-
tiosis conatibus Strigelii conqueruntur; & pag. 74. Cancellarii
interlocutio reprehensoria in hæc verba extat : *Illustrissimus
Princeps miratur cum indignatione, hasce tuas importunitates & ine-
ptas digressiones, & jubet te parcere fame Illyrici &c.* Verùm tota
actio ostendit, hominem cognitionis philosophicæ opinione
inflatum, suo potius honori, quàm veritati studuisse. Un-
de & *Crügerus* in Catal. mille virorum p. 243. de eo scripsit:
*Fuit vir quidem in lingvis & philosophia excellenter doctus, sed in re-
ligione minimè sincerus.* vid. *B. Gerh. l. c.*

§. XXII. Quid autem de MATTHIA FLACIO ipso
judicandum sit? & utrum origo erroris ejus ambitioni de-
beat? considerandum videtur. Sanè dura sunt, quæ
Conr. Schlüsselburgius de eo scripsit Lib. II. Catal. Hæret. de Secta

Manichæorum seu Substantialistarum, p. 3. quod ille omnino primus monstrosa, portentosa, impia & blasphema veterum Manichæorum deliramenta, quasi ab orco, maligni Spiritûs instinctu resuscitaverit: -- Quod ambitione ebrius, fervore contentionis, nimium sui ingenii acumine & acrimoniâ fretus, omnium Collegarum fraternas & fideles admonitiones superbè aspernatus sit, & illis dissvadentibus, invitis & repugnantibus, pertinaciter plurimis scriptis suam blasphemam propositionem palliare, incrustare & propugnare coeperit, &c. p. 4. 5. Moderatius est iudicium B. Joh. Musæi in præfat. Clavis Script. Flacianæ a. 3. 1. In errorem de peccato originis incidit Auctor, non temeritate aut levitate animi, non fastu, neque pruritu quodam, aut studio innovandi quicquam in recepta Ecclesiæ doctrinâ, ductus, sed occasione controversiæ arduæ & difficilis de libero arbitrio hominis non venati, ejusq; viribus in sui conversione, quæ ut multis retro seculis Patrum doctissimorum exercuerat ingenia, magnasq; in Ecclesiâ turbas dederat, ita tum Illyrico, viro acrioris ingenii, & zelo conservandæ religionis purioris flagrantis animi, maxime cum Strigelio, Synergistarum illius temporis sive Semi-Pelagianorum recentium coryphæo, intercedebat. Fortasse autem conciliari ista possunt, si observemus, B. Schlißselburgium non loqui de directa intentione revocandi errorem Manichæorum, pridem sepultum: quasi ambitio pepererit studium innovandi & aliis contradicendi; hinc sententia illa contra conscientiam ab eo fuerit in Ecclesiam introducta: à qua etiam culpa eum rectè liberat B. Musæus, qui l. c. ostendit, quomodo in prima sessione tota benè steterit Flacius, & intra terminos orthodoxiæ se prorsus continuerit: demum autem cum Antagonista, Strigelius, Sophista technarum & fraudum callentissimus, inque omnem fallendi occasionem intentus; toties repeteret assertionem, quod peccatum originis sit accidens; liberum arbitrium verò substantia; jam Flacius, artium & scientiarum administris pro eo, ac in hac, Philosophiæ admodum vicina, & cum homine Philosopho disceptanda controversia oportebat, ad tela, ex Philosophiæ armamentario depromta, dextre excipienda & repellenda, non instructus; peccatum originis non esse accidens, sed substantiam; semel iterumq; assereret; quanquam à statu quæstionis se abduci intelligeret & que-

quereretur. Quod tamen ita porro gestum esse, *B. Musaeus* agnoscit, ut non tantum de terminis substantiae & accidentis, sed cum primis de rebus substratis lis & contentio oriretur, atque error *Flacii*, etiam in ultimis ipsius scriptis satis crassus, absurdus & noxius esset. Nec negat, *Flacium* ab *Amicis* fraternè monitum, ab *Adversariis* severè objurgatum: qui, licet agnosceret absurditates ex errore semel admissio fluentes, excusare tamen potius aut fluctuare, quàm deponere illum maluerit. Quà ratione sui potius honoris, quàm veritatis rationem habuisse illum omninò apparet. *Conf. B. P. Piscatoris* Praelect. in *Form. Conc. Art. II. Disp. II. Posit. IV. seqq. ad XI. pag. 51. ad 56.*

§. XXIII. De *Enthusiasticis* nostri seculi, *ESAIAS STEFELIO*, *EZECHIELE META*, & similibus *Pseudoprophetis*, facile esset ostendere, vel ex propriis ipsorum jactationibus & in alios viros honestos contumeliis, quantò illi typho pleni & fascinati fuerint. Quia verò partim in majoribus ipsorum, non solum *Montano*, sed & *Pelargo*, *Münzere*, *Carolstadio*, *Schwenckfeldio*, *Weigelio*, Spiritum illum vidimus: partim etiam in ista concurrentium impostorum copia difficilius est, finem narrationis, quàm initium, invenire: satis fortasse erit, istud vel verbo innuisse.

§. XXIV. Consideratis autem veris exemplis ambitiosi Spiritus, velut causæ hæresium sive inventarum sive propagatarum; non possumus, quin *B. Lutheri* nostri innocentiam à culpa illa, vulgò ab adversariis intentata, asseramus. Vetus accusatio Pontificiorum est, quòd *Lutherus*, gloriæ cupiditate ductus, non tantum *Tezelio*, indulgentiarum præconi; sed monitoribus Theologis, singulis & per collegia junctis; imò superioribus, *Alberto Moguntino*, ipsique *Leoni*, Pontifici Maximo, ut & *Curia Romana* sese opposuerit: ita doctrinam & confessionem peculiarem condiderit, ac cœtu facto, non tam hæreticus, quàm hæresiarcha extiterit. Attamen haud necesse est, novam pro *Luthero* Apologiam scribere, postquam & ipse à se vivus eam calumniam fortiter depulit; & mox *J. Mathesius* *Conc. XII. de vita Lutheri*



theri p. m. 137. *Nic. Selneccerus* in recitationibus Lipsiensibus, & oratione peculiari; *Joh. Sleidanus* Comm. de Statu Relig. & Reipubl. sub init. modestiæ laudem, inter alia dona, vindicarunt: sed & accusatoribus responderunt: *Joh. Pistorio Niddano* quidem Apostata, Theologi Württembergenses scripto singulari: *Cochlæo*, *Lorino*, *Cornelio à Lapide*, *Petro Cutsemio* & aliis pluribus *B. Gerhardus* Conf. Cathol. L. I. P. I. cap. VII. p. 162. seqq. ubi & illud, notat p. 175. quod *nemo eorum, qui primi contra Lutherum scripserunt, ipsi objecerit, quod ex mera invidia & ambitione controversiam illam moverit.* add. App. ad L. I. Gen. p. 936. *B. Henr. Höpfnerus* Sax. Evang. p. 68. seqq. *B. Jo. Müllerus* in *Luthero defenso*, & defensione defensi Lutheri. *B. Georg. Calixtus* Digress. de Arte nova §. 158. seqq. p. 298. seqq. (ubi ostendit, non apparere, quomodo majore cum moderatione, humilitate & ipsius Pontificii nominis reverentia rem gerere potuisset Lutherus) *B. Johannes Musæus* Vindic. Bibl. Gloss. Disp. I. & II. & nuper admodum Illustris Dn. *Seckendorffius*, immortalis opere Commentario Historico-Apologético de Lutheranismò contra Lud. Maimburgium Jesuitam: ut mirari subeat, si qui porro veterem illam cantilenam repetere, nec suo pudori parcere voluerint.

§. XXV. *Calvino-Reformatis* autem, qui jam quidem Lutherum magnificere videri volunt; jam tamen certaminis in negotio Iconomachico & Sacramentario, inter Ipsum & *Carolstadium*, culpam in illum conjiciunt, quasi Lutherus arrogantior, adeo intemperanter tulerit alios præter se Reformationis epodiontas, quod non minus agrum ei fecerit erga *Huldericum Zwinglium* animum, apud *Helvetios* reformantem: uti ista eloquitur *J. Hoornbeek* Summ. Controv. Lib. IX. de Lutheranis p. m. 615. Præverunt autem, personatus ille *Ambrosius Wolffius*, qui est *Christophorus Herdesianus*, Jctus Norimbergensis, vir doctrinâ excellens, sed studio partium Zwinglianarum occupatissimus; refutatus à *M. Chemnitio*, *Timotheo Kirchnero* & *Nicolao Selneccero*, in vera Historia Augustanæ Confessionis: & *Rudolphus Hospinianus*, Theologus Tigurinus in Concordia discorde, quam in-



✠ (31) ✠

inſcripſit, confutatus & ipſe à *Leonhardo Huttero* in *Oppoſita Concordia Concorde*. Et cum alii ex Reformatis eandem cantilenam repeterent (præſertim verò aureum illum nummum objicerent, quem hîc Jenæ noſtræ in diverſorio, à nigro urſo appellato, Lutherus Carolſtadio dederit, velut ſubarrhationem & auctoꝛamentum litigii; quem tamen is neutiquam animo emendi ſibi antagoniſtam aut provocandi invitum ad pugnam; ſed turbonem inſidioſum & incorrigibilem, ne minùs agnitus magis noceret Eccleſiæ, in apꝛicum protrahendi cauſâ dederat,) ſimiliter à noſtra parte videri poſſunt, quæ *B. Hunnius* ſcripſit libro contra Embdanos, *B. Joh. Dietericus* in abſterſione calumn. Lampadii; & *Fridericus Lipſius* Diſp. pecul. de Carolſtadio. Ac benè eſt, quod modeſtiam Lutheri inter ipſos Reformatos celebratam novimus. Vid. *Boxhornius* Hiſt. Univ. p. 1053. Ac lenitatis adverſus Zwinglium & ſocios, ipſis Colloquiis, Marpurgenſi & Wittebergenſi A. 1529. & 1536. ſatis ſuperq; declaratum, acta publica ſic teſtantur, ut Lutheri quidem zelum pro veritate agnoſcamus, cujus vi ſimulationes ac diſſimulationes, ad fovendos & propagandos errores adhiberi ſolitas, ferre non potuerit; ſuum tamen honorem adverſariis non invidiſſe, neq; ipſum ſolum eminere voluiſſe, certi ſimus.

§. XXVI. Videant autem ipſi adverſarii, quomodo ſuarum ſectarum auctoꝛes & anteſignanos immunes ab ambitione fuiſſe probare aut ſuſtinere poſſint. De Carolſtadio nimis aperta reſeſt: quam ſup. §. XVI. indicavimus: plura ex aliis allaturi, ſi opus foret. Nihil enim eſt, quod Ἰδώνου ille *Orthwinus Gravius* (quo nomine Virum clariffimum *D. Chriſtianum Becmannum* celari perhibent) in Caſtigationibus ad *Dn. Ludovici Liebhardi* Hiſtoriam Calvino-Reformatam p. 3. non ſemel excipit: *Carolſtadium tunc nondum fuiſſe ſuum*. Fuit enim ſanè tunc in motu ad ἀποſταſiam: unus ex illis, quos *S. Joannes* deſcribit, 1. Ep. II, 19. *E nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Sed ut maniſeſti fierent, quod non ſint omnes ex nobis.* De
Zwing-

Zwinglio autem, Oecolampadio & aliis non adeò obscurum est, noluisse eos videri, debere aliquid Lutherò & cæteris in negotio Reformationis collaboratoribus in Saxonia; quando ne Confessioni quidem Protestantium Augustanæ tunc nomina sua dare voluerunt, (licet hodierni Reformati eam se amplecti simulent) peculiarem potiùs offerentes: uti notum est. Et quantumcunque fraternitatem nostrorum expetere, & ab erroribus toties proditis alienos esse se profiterentur; nunquam tamen hos sincerè depofuerunt, ne palinodiâ suâ aliquid de sua dignitate perdidisse viderentur: *diligentes gloriam hominum magis, quàm gloriam DEI*; Phariseorum exemplo Joh. XII, 43.

§. XXVII. Pontificios autem etiã multò magis pudere debebat; ambitionem Lutherò, velut hæreseos causam objicere; qui nec hæresin viventi affictam ostendere potuerunt; imò nec auditum, neque convictum damnare maluerunt: sed & suæ hæreseos fontem in ambitione Cleri, & maximè Episcoporum Romanorum non tam quærere, quàm omninò manifestum animadvertere deberent. Quæ enim alia origo est dogmatis illius, de *Primatu Pontificis Romani*, in quo *summam religionis Christianæ ac fundamentum*, quò stante consistat *Ecclesia*; remotò *dissolvatur & concidat*; Bellarminus collocat, præfat. Lib. de Summo Pontif. nisi ab ambitione illa, & ἀντινεμψὺς καὶ ὑπεραρεγγυλὺς ὅτι πάντα λεγόμενον θεόν. II. Theff. II, 4? Unde dictatus illi Gregorii VII. id est elementa totidem doctrinæ Hildebrandinæ, dignæ Baronii judiciò, quæ in omnibus angipertis proponantur? Certè major eorum pars antea parum in usu fuit, & nemine prædecessorum Gregorii unquam attentata: teste Onuphrio Panvinio in vita illius p. 248. Licet enim præludia quædam ejus antecessissent, ac Romanorum Pontificum ambitio, quæ non obscuris indiciiis, etiã antè se prodiderat, propagari admodum cæperit, ac velut in apertam lucem eruperit, circa finem seculi quarti & quinti initium; sic tamen ab Hildebrando, & quoad theoriam & quod ad praxin, exculsa est doctrina illa, ut nulla temerè scientia ab uno



uno homine majora acceperit incrementa, quàm hæc accepit ab illo : ostendente *Casaubono*, Exerc. Baron. XV. num. XV. p. 372. seq. edit. Genev. (edit. Londin. p. 419. seqq.) Ac de origine & incremento ambitionis Papalis nimis luculenta sunt, quæ collegerunt *Phil. Mornæus* in *Mysterio Iniquitatis* s. *Historia Papatûs*. *Georgius Calixtus* Disp. de Primatu Rom. Pontif. *Wilhelmus Zepperus* Polit. Eccl. L. II. cap. I. p. 296. *Cl. Salmasius* Libro pec. de primatu Papæ. *Hoornebeck* Summa Controv. Lib. IV. p. 192. seqq. *Laurentius Banck* Lib. pec. de Tyrannide Papæ *Daniel Lipstorp* in *Formatione infrunitæ Monarchiæ Papalis*. *Dorotheus Ascianus*, i. e. *B. Matthias Zimmermannus* Tract. de Nervis rerum gerendarum Curia Rom. quem Libro de Montibus pietatis præmisit. *Cl. J. H. Heideggerus* in *Historia Papatûs*: & alii. Speciatim de Affectatione Divinitatis, Pontificibus Romanis usitata, *Mornæus* de Eccles. cap. IIX. p. 118. seqq. *Casaub.* Epist. Dedic. Exercit. Baron. *Powellus* de Antichr. Lib. I. cap. IX. *G. Calixtus* ad II. Thess. II, 4. p. 36. seqq. & Append. ad Tract. de Auctorit. Script. §. 15. *Dorscheus* in *Hodeg. Cathol.* p. 115. *Joh. Strauch* Amœnit. Juris Can. Eclog. I. Cap. XI. p. 15. (ubi etiam de titulo : *Servus Servorum Dei* :) *Dn. D. Joh. Dieckmannus* Disp. II. de vocis Papæ ætatibus §. XI. XII. (ubi ambitiosam Pontificum Romanorum modestiam exponit.) *Dn. D. Joh. Frid. Mayerus* Dissert. de Quæstione : *An dogma Papistarum sit, Pontificem Romanum esse Deum ?* Neque verò tantum principale illud dogma Pontificium, de ipsius Pontificis Romani primatu, hos natales habuit, verum alia multa, quæ vel ei stabiliendo, vel dignitati Cleri augendæ conducunt. (Nam de his, quæ avaritiæ eorum explendæ conducere visa sunt, ideoque in pretio habita; jam non attinet dicere.) Ac pridem est, quod Nostri observârunt, articulos de Sacrosancta Trinitate, de Persona Christi, aliosque, qui in Symbolis Apostolico & Nicæno expressè habentur, hinc potuisse sinceritatem suam sub Papatu servare, quòd eorum mutatio non æquè faceret ad incrementa honoris & potestatis Pontificiæ; quin potius non parum interesset, dogma-



ta illa custodiri ab his, qui sub nomine Christi, tanquam vicarii ejus, in orbe Christiano excellere cupiverunt ; ac tantotutiùs, cumq; felice successo, alias doctrinæ partes ad suum commodum flectere se posse intellexerunt : de quo tamen consilio, & ut per exempla errorum eamus, jam non patitur rei prolixitas, & nobis h. l. præfixa tractationis brevitatis.

CAPUT II.

De

*Ambitionis & Hæreseos Nexu,
tanquam Cause & Causati.*

§. I.



Consideratis testimoniis atque exemplis hæresium, ex ambitione sive nascentium, sive vires & incrementa capientium ; proximum est, ut habitudinem hujus ad illas ex naturâ utriusque, juxta ductum revelationis divinæ pariter & ei innixæ rationis, expendamus : non generaliter tantum, sed pro diversitate aut forma multiplici, cum ipsius ambitionis, tum hæresium variarum : quandoquidem utrumque hoc nomen latè admodum patet ; neque uno & eodem modo ubique omnia se habent, quæ occurrunt.

§. II. *Ambitio* nobis idem est, quod Græcis *Φιλοτιμία*: inordinatus honoris amor aut studium. Nam latina quidem vox illa aliàs propriè actum ambiendi, circumeundi, circumdandi aut cingendi significat ; sed ex usu loquendi pridem denotare cœpit affectationem aut cupiditatem dignitatis aut honorum. Vid. Cic. Lib. I. Offic. cap. 87. p. m. 479. F. & II. Tusc. Qq. cap. 62. p. m. 206. & aliàs passim. Ac ratio appellationis in promptu est. Qui enim honores Romæ quærebant, populum ambire, id est, circumire solebant, candidati : ut Varro Lib. IV.



IV. de Ling. lat. scribit. Conf. *Festum* Lib. I. Cæterùm *ambitum* ab ambitione aliqui distinguunt, quòd ille *in actu* sit, hæc *in animo*: vid. *Calv. Lex Jurid.* voce *Ambitus* p. m. 63. 64. ubi actum externum priore nomine intelligere videtur; posteriore actum internum non minùs, quàm habitum. Nec malè. Nam ambitum dicebant ipsam emtionem suffragiorum, oblatâ pecuniâ; ipsam quoque compellationem, blanditias, servitia, populo aut proceribus exhibita, honoris consequendâ causâ. Ambitionem verò partim desiderium honoris actuale, quod est motus quidam facultatis concupiscibilis; partim vitium quoddam, velut morbum quendam animi aut habitum concupiscendi honorem: prout ambitiosus dicitur, qui vitio ejusmodi habituali laborat. Confer *Antonii Matthæi* Lib. de Criminibus, tit. de Ambitu. *Josephi Langii* Florilegium Magnum T. I. tit. Ambitionis p. 134.

§. III. *Thomas* II. II. Qv. CXXXI. art. I. quærit: *Utrum ambitio sit peccatum?* Idque in Conclus. affirmat, & ad rationes dubitandi præmissas mox respondet. Ac fatendum est, vocem in malam partem vulgò accipi: quicquid sit de etymologia, quæ fortasse pateretur significationem indifferentem. Sanè in Græca literatura Philosophus φιλομίαν & Αφιλομίαν pro vitiis oppositis habet; virtutem autem, quæ interjacet, propriò nomine destitui monet: licet aliquando illud, nunc hoc nomen admittere videatur. In Scripturis etiam *Rom. XV, 20.* *II. Cor. IV, 9.* & *I. Theff. IV, 11.* vocabulum φιλομίαν in bonam partem sumitur, ac summum studium in re sancta, citra affectationem honoris indecentem, significat. Ubi *Estius* & *Vorstius* sanctam quandam ambitionem indicari dicunt, & *Grotius* ex profanis scriptoribus vocem per catachresin ad id traductam monet, quod studiò magno & contentione agimus. Quamvis non videatur alienum esse à mente Apostoli II. cc. si dicamus, actum ejusmodi significari, quòd honor aliquis, licitò quidem & sancto modò, in re aut negotio quòdam quaritur, aut locum habere judicatur; quod Germani dicunt: *Sür eine Ehre halten / daß man das*



thue. Quod tamen hîc non urgebimus. Nimirum hoc locô
Ambitionis voce Vitium significari, nemo non videt. Dum
enim hæresin ab ea, tanquam à causa, pendere dicimus, κακὴ
κόρη κακὸν ὄν veteri verbo, designamus.

§. IV. Objectum ambitionis *Honorem* esse, similiter ex
dictis patet. Honor autem plerisque cum *Cicerone* in *Bruto*
cap. 28. p. m. 337. F. idem est, ac *premiū virtutis*, *judiciō studiōq;*
sivium delatus ad aliquem. Aliàs autem vox latius patet, quàm
ut ad societatem civilem & civium judicia ac studia, inde-
que delata præmia restringatur. Nam & ad *Deum* refertur, qui
vel honorari vel honorare dicitur, & ad *hominem*, qui seipsum ho-
norat. Atque ita porrò interdum ipsum *judicium mentis*
internum de alicujus dignitate, perfectione, virtute; qui
magnifit, aut æstimatur; non *externum* tantum actum, qui
signum interni *judicii studiique* aut æstimationis est, deno-
tat. Atque hîc sanè locô non eam tantum ambitionem con-
siderare necesse est, quæ circa externa honoris signa, à civi-
bus deferenda aut delata, versatur; verùm in ampliore illô
significatu, quô non minùs, quàm altero strictiore, hæreseos
causam esse, videbimus.

§. V. Unde cùm aliàs ab *Aristotele* virtutes & vitia,
quæ circa honores occupantur, pro diverso gradu honorum
distingvi soleant, ita, ut *Φιλοψυχία* sive ambitio non oppona-
tur virtuti circa magnos, sed circa mediocres aut parvos
honores occupata; vitium autem magnanimitati (quæ cir-
ca honores magnos virtus est) in excessu oppositum *χαυρό-
της* aut *superbia* vel *fastus* appelletur: quando tamen *Φιλοψυχία*
sive ambitio, ut causa hæresium consideratur, fatendum est,
non solum eam, quæ circa mediocres, verùm æquè aut ma-
gis illam, quæ circa magnos honores peccat, spectari debe-
re: prout utraque *Scriptoribus Ecclesiasticis* *Φιλοψυχίας* aut
ambitionis nomine venit.

§. VI. Nimirum & hoc observandum est, quod vi-
tium istud, de quo hîc agimus, non solum in quærendis no-
vis aut majoribus honoribus; verùm etiam in retinendis stu-
dio.



diostius; quàm par est, acquisitis, consistat: quemadmodum virtutes & vitia, quæ circa opes aut τὰ χεῖματα versantur, non tantùm hæc, ut acquirenda, verùm etiam conservanda, spectant: licet pro diversitate subjeutorum, jam illud, jam hoc, luculentius appareat, quod utrinque eòdem nomine venit.

§. VII. Et sic porrò clarum est, *Synonyma* Ambitionis in hoc quidem negotio esse posse, ut solent, *Superbiam*, *Fastum*, *Arrogantiam*: quamvis illa aliàs distingvi non ignoremus. Certè *honor*, *gloria*, *laus*, *fama*, *auctoritas*, quæ aliàs non immeritò distingvuntur; tamen quando de virtutibus & vitiis agitur, simul omnia objectum unius virtutis aut vitii esse solent. Itaq; nec absurdum est, vitiorum illa nomina, licet aliàs differant quoad modum significandi, hîc tamen concurrere, quando hæreseos causam in inordinato affectu aut habitu circa honorem, gloriam, laudem, famam, auctoritatem occupato, collocamus. Porrò igitur, brevitatis studio, sicut ad exempla veterum scriptorum, unum Ambitionis nomen tanquam *generaliter* adhibebimus, licet plura nomina distinctè locum habere possint.

§. IIX. De nomine *Hæreseos* jam supra quædam in proœmio monuimus, quæ hîc repetere otiosum fuerit. Supponimus potius (1) in malam partem accipi debere, quando ex ambitione nasci, aut firmari, aut propagari dicitur. (2) non de quocunque instituto perverso certorum dogmatum aut rationis vivendi hic sermonem esse; prout aliàs etiam inter Philosophos sectæ aut hæreses esse dicuntur: Sed denotari institutum circa religionis negotium, præter & contra revelationem divinam. Quâ ratione cum *Basilio M.* epist. LXXII. rectè dicitur, hæreses esse βλαπτερὰ καὶ τὸ πνεῦμα τῆς διδασκαλίας. *pestiferas adversus Spiritum doctrinas*; vel, ut alii describunt, hæresin esse *errorem in fide*, seu fidei salutari, ejusq; fundamento dogmatico, quoad partem sive articulum unum aut plures, repugnantem. Quamvis *Augustino* etiam hæreticus dicatur, qui opiniones creditu non necessarias & falsas, licet in fundamentum fidei directè



non impingant ; sub necessitate credendi proponit & urget. Quod quidem suô loco relinquemus : licet non minùs hoc malum, quàm alterum, quod usitatius hæresis dicitur, ex ambitione proficisci, agnoscamus.

§. IX. Quod etiam aliquando disputatur : Utrum hæresis in casu recto sit ipsum dogma, quod in fundamentum fidei impingit ? an potius electio aut amplexus ejus, quod alienum est à veritate, ejusque promulgatio & propugnatio? nobis tamen his immorari non erit opus, qui de erroribus agimus, non tam in se, quàm quatenus sunt penes homines: neque penes hos quidem omnes, qui dogmatibus falsis & extiosis quoquomodò sunt addicti ; sed dogmatum ejusmodi auctores & morosi defensores : prout aliàs *Hereticus & heretico credens* discerni solent : ita, ut *hæreses, quatenus penes hereticos deprehenduntur, ipsamque falsorum dogmatum, sive excogitationem, sive ab aliis excogitatorum assensum aut approbationem, sive traditionem* (quam propositionem, aut promulgationem, aut professionem, vocant), sive *defensionem* aut *propugnationem*, atque adeò *propagationem*, ex ambitione, tanquam causa, pendere dicamus; idque nunc habemus cognoscere.

§. X. Quod, ut rectiùs fiat, ad *Causæ* quoq; notionem non nihil attendemus. Ubi facile constabit, inter recepta vulgò *genera* causarum, aut *efficientem*, aut *impulsivam*, aut utramque nobis relictum iri. Cum enim hæresis, cujus causa dicitur esse ambitio, (quæque adeò per modum causati ad ambitionem se habet,) non sit substantia ex *materia & forma* composita ; de his causarum generibus fortassè hòc locò laborandum non erit. Nam, si maximè *formæ* nomine *rationem formalem* intelligas, non tamen ostendi posse puto, quòd ambitio sit ratio, per quam hæresis in esse hæreseos constituitur : Sed nec *materiale* hæreseos ambitionem satis commodè dixeris ; quasi commune aliquid sit & indifferens, quod per aliud quiddam tanquam *rationem formalem* ad esse hæreseos determinetur. Quod si ad *formam assistentem*, quam vocant, respicias ; hæc ipsa potius ad genus causæ efficientis pertinebit : quando-
qui-



quidem ei, cui assistit, in suo esse constituto, supervenit, nec plus illi præstat, quam ut influxu quodam suo verò ac reali, moveri atque operari faciat; quæ causæ efficientis causalitas est. Similiter nec finem aut *causam finalem* hæreseos esse ambitionem, dicendum est. Non enim ideò quis hæreticus est, aut hæresin amplectitur, fovet & propugnat, ut fiat aut sit ambitiosus. Quod autem honor, qui objectum est ambitionis, interdum finis objectivus promulgatæ aut defensionis hæreseos esse solet; atque ita honoris consecutio aut conservatio finis formalis ejusdem est; id non facit, ut ambitio ipsa, (quæ nec honor est, nec honoris consecutio aut conservatio; licet studium aut desiderium ejus sit) pro causa finali hæreseos haberi debeat. Restat igitur, ut ambitio, si qua hæreseos causa est, ad efficientis aut impulsivæ causæ, aut ad utrumque genus, referatur.

§. XI. Hic autem porrò quidem sese offerunt quæstiones, quoad differentiam *causæ veræ & causæ seu conditionis sine qua non*; item *causæ physice & moralis*, *causæ mediatæ & immediatæ*, *totalis sive adequatæ, & partialis sive inadequatæ*; de quibus prolixius disputari posset, quando, qualiter se ad hæresin ambitionem tanquam causa habeat, definiendum est. Quæ tamen opera sterilius fortassè aliquibus, aut scholastica nimis, videri posset. Sufficiat ergò, vel paucis monuisse, quæri h. l. de causa hæresium, prout aliàs in moralibus, de causa aut causis peccatorum & vitiorum; in politicis, de causa aut causis morborum, ipsiusque mutationis Reipublicæ quæritur: & quemadmodum vulgò noti sunt versiculi *Ovidiani* Lib. de Remed. Am.

Queritur, Ægisthus quare sit factus adulter?

In promptu causa est. Desidiosus erat.

Ita hinc dicas licet:

Queritur hæreticus quare sit factus o deiva;

In promptu causa est: Ambitiosus erat.

§. XII. Cæterum, uti aliàs docetur, unius rei plures posse esse causas; sic nec negamus, præter ambitionem dari plu-

plures. imò varias & multiplices causas hæresium, (de quibus non solum *Lambertus Danæus* Comm. ad Aug. de Hær. Tractatu præliminari; sed & *Abrahamus Heidanus* Lib. de Origine Erroris; *Edoardus Baro Herbert*, de Causis Errorum, cautè quidem legendi; aliique, qui de Hæresi aut Hæreticis scripserunt; videri possunt.) Inter plures autem ambitionem omninò locum habere, nec parum aut rarò, sed sæpè multumque conferre ad hæresin, hoc est, quod affirmamus, jamq; clarius ostensuri sumus.

§. XIII. Quodsi tamen, juxta superius dicta de causa efficiente atque impulsiva, aliquid distinctius enunciandum fit; illud quidem exploratum esse judicamus, quòd nonnunquam ambitio per modum *cause impulsivæ internæ* se habeat, unde homo sive ad excogitandam, sive amplectendam aliunde, docendam tuendamque doctrinam hæreticam, moveatur: aliàs autem habeat se ambitio ad hæresin amplectendam aut docendam defendendamve, per modum ejus, *quòd removet impedimentum*, seu quod tollit id, quò stante aut permanente, hæresis ejusve propugnatio penes hoc subiectum non foret locum habitura: denique (quod tamen ad modò dicta referri posset) ambitio habeat rationem *cause meritoria*, seu, (ut quidam loqui malunt) *demeritoria*, quatenus per eam fit, ut homo, justo Dei judiciò, sicut in alia mala & peccata, ita in hæresin labatur, & pœnas ambitionis luat. Atque ad has causarum formas etiam reliqua, quæ hîc occurrere solent, reduci posse videntur.

§. XIV. Ac *primum* quidem illud in proclivi est docere, quod *ambitio, quatenus importat honoris externi, v. g. laudis & famæ cupiditatem inordinatam, aliquando moveat hominem ad excogitanda & propalanda nova, & à veteri fide ejusq; fundamento aliena dogmata*, quæ singularis aut sublimioris doctrinæ speciem habent, & quibus homines alios in ad-



admirationem, atque adeo venerationem sui trahere posse putat. Huc enim non solum spectant supra Cap. I. §. II. citata testimonia *Clementis Alex. de Hæreticis: Δόξης ἰπιδυμῶσι, Φιλοδοξίας χειζόμενοι.* & *Augustini; Hæreticus est, qui alicujus temporalis commodi & maxime glorie principatusq; sui gratiã falsat, ac novas opiniones vel gignit vel sequitur:* denique *Bernhardi,* hanc esse velut communem *hæreticorum intentionem, captare gloriam de singularitate scientiæ:* Sed & exemplum *Simonis Magi* §. IV. dictis fidem facit. Quanquam huc fortè etiam referri possint *Tatiani & Praxeæ* lapsus ex §. VII. Inprimis verò *Anti-Christus* ille magnus, *ejus mendacia & deceptiones* injustitiæ inde nasci dicuntur, quod is *eminere* vult *præ omnibus,* II. *Thess.* II, 4. 10. 11.

§. XV. Neque verò ambitio ista impellere solet tantum ad excogitandum nova dogmata præter scripturam, atque, ut ea spargant; sed & (2) ad amplectendas sententias aliorum auctorum aut inventorum, si quæ præ dogmatibus publicè receptis, & ab Ecclesia probatis, suâ quadam specie subtilitatis aut raritatis se commendare, & vel nunc proposituris Doctoribus opinionem aut laudem excellentioris doctrinæ conciliare posse videntur. Quod & ipsum non unò modò fieri solet. *Alios* enim propellit ambitio ad sententias aliorum, suppressis nominibus eorum, pro suis venditandas: *Alios,* ad quærendum applausum vel per ipsum nomen Auctorum, quos alicubi in pretio esse cognoverunt, ut sic ipsi quoque inclarescant, si illorum doctrinam, prout acceperunt, vel nudam, vel uberiùs declaratam & ratiunculis firmatam, proposuerint. *Alii,* ne per alios, aut ex illis tantum sapere videantur, stimulantur cupiditate honoris, ut dogmata antecessorum nonnihil mutata, aut accessionibus quibusdam exornata, proferant. Quæ, ut exemplis antememoratis illustremus; ad primam classem pertinet *Paulus Samosatenus,* de quo §. VII. diximus. Error enim illius *Ebionis & Cerinthi* fuit: quorum nomina is dissimulabat, licet vestigia sequeretur. Ad alteram classem non æquè præsto sunt

sunt nomina hæresiarcharum : quippe qui vel de suo nomine sectas condere maluerunt ; vel nullò nomine personali utendum putârunt : quasi servile esset , de alieni nominis non tam splendore, quam umbrâ, participare ; aut Pythagoreum illud , *αὐτὸς ἐφα*, ingeminare. Sed nec idò prorsus desunt exempla , quando nec necesse est , hæresiarchas hîc nominare , ubi hæresium Doctores & propugnatores quilibet sufficiunt. Ita verò *Manetis* sive *Manichæi* , (uti alias appellabatur impostor) Discipuli duodecim , aut tres illi præcipui . *Aldas, Thomas & Hermas*, juxta *Theodoretum* Lib. I. Hæret. fabb. satis habuerunt ad suam gloriam , si præceptoris doctrinam , ejus nomine , credulis persuaderent , Apostolatûs sui dignitate, velut ad æmulationem Apostolorum Christi Jesu, contenti. Nec ignotum est, hæresiarchas plerosque ministris ejusmodi fuisse usos , qui de magistrorum gloria suo honori velificare se posse existimârunt. Tertiè verò classis homines inter supra recensitos comparent : quando *Menandri* errores auxit *Saturninus* ; ab hoc ex professo dissensisse *Basilidem* , ut ingeniosior videretur , cap. I. §. VI. vidimus: Arianam hæresin graviolem reddidisse *Eunomium & Eudoxium*, ex *Basilio M.* ac *Theodoreto* docuimus §. XI. in Serveti doctrina corrigenda *Socinos Lelium & Faustum* occupatos fuisse ex §. XIX. constat. Quibus plura addi possent, si opus foret.

§. XVI. Speciatim autem nunc (3) notandum est, tunc maximè ambitionem se in animis hominum ad excludendam hæresin exserere , *quando in dignitatibus publicis adeundis competitores occurrunt, & prævalituri videntur ; aut jam præoccuparunt sedem:* Sic enim ambitiosi illi *vel* competitoribus quantumvis orthodoxis, quoquò modò detrahere cupientes, quando aliter non possunt feliciùs, controversiam movent de doctrina ; ita rem agentes callidè, ut mentes hominum ab illis abalienentur, non tam meliora docendorum, sed in partes trahendorum : atque hâc ratione dignitas desiderata obtineri queat ; *vel* sibi seorsim



sim colligunt peculiare cœtus, quibus præfint, & qualicun- que honore ac munere fungantur. Talis fuit *Valentinus*, alium ex martyrii dignitate Episcopatu à se sperato potitum indignatus, atque ita ad impugnandam veritatem conversus: juxta *Tertulliani* verba C. I. §. V. citata. Talis *Novatianus*, contra *Cornelium*, qui lapsos ad Ecclesiam redeuntes receperat, calces erigens; *Cyprianò* teste §. VII. *Donatus*, *Cæcilianò* se opponens, memorante *Optatò Milevitano*, & aliis §. IIX. Talis etiam *Arius*, *Alexandrum* sibi prælatum æquò animo ferre non potens; *Theodoretì* testimonio l. c. §. IX. Talis *Aërius* ægrè ferens, non se, sed *Eustathium* factum fuisse Episcopum: de quo ibidem diximus.

§. XVII. Sed & (4) fieri solet, ut, qui aliàs, ex censura superiorum, detrimentum honoris passi fuerunt; hanc autem, licet meritam, ferre non possunt; hinc ambitione stimulati, ut tamen aliquid esse videantur, ex doctrina singularitate favorem aliorum ac dignitatem aliquam lucrari conantur.

Quam in rem luculenta sunt exempla, *Marcionis*, à Patre suo excommunicati, denegatâ sibi etiam ab Episcopo Romano gratiâ receptionis, ad societatem *Cerdonis* augendamque hæresin conversi; referente *Clem. Alex.* sup. §. VI. & *Apollinaris*, qui cum reprehensionem *Theodoretì* & excommunicationem à *Georgio* factam, tolerare non posset, novam ipse hæresin condidit: quod ex *Socrate* annotavimus §. XI.

§. XIX. Quibus observatis, judicium ferri poterit de opinione *Evagrii* Scholastici, inter Scriptores Ecclesiasticæ historiæ non obscurum nomen nacti, cujus Lib. I. cap. XI. p. m. 589. hæc legimus verba: *Nemo eorum, qui hæreses inter Christianos excogitarunt, deditâ operâ blasphemiam loqui voluit, neque suâ sponte ad divinum Numen contumeliâ afficiendum ruere: sed potius*

persuasum habuit; si vel hoc vel illud asseveranter affirmaret, se melius dicturum, quam alios, qui ipsum antegressi fuissent. Sanè lenior est hæc sententia de hæreticis, quam ut quorumvis, etiam pessimorum, ingeniis ac moribus respondeat. Quis enim asseruerit, hæreticos omnes & singulos nihil contra conscientiam egisse; sed tantum conscientia erronea dictamen secutos, tot tantasque corruptelas, tot monstra falsorum dogmatum, tantasque turbas intulisse Ecclesie? Horum faciem longè diversam cap. I. §. II. ab antiquioribus Ecclesie Doctoribus, quibus cum isto hominum genere plurimum negotii fuit, descriptam vidimus: & nunc etiam observari cupimus, quod Clemens Alex. l. c. postquam de hæreticis dixerat, eos gloriae desiderio teneri; statim addit: *Atque ea, que ex natura sua conveniunt sermonibus divinius inspiratis, tradita à beatis Apostolis & Magistris sua sponte (ecce! sua sponte, ait,) fallaci simulatione sapientie corrumpunt: quodq; Hilarius in Psalm. CXXXIIX. scribit: Dolosa doctrina est hæreticorum: sub nomine Dei blasphema, sub pretextu religionis impia, sub veritatis specie fallacia. Quoniam in animo & cogitatione solum contentionis studium persistit, nihil ad salutem hominum laborant, nihil ad spem acquirunt, nihil pacificum cogitant: ut omnibus his in contentionibus labor sit, & pugnam meditentur. Et quis ignorat grave illud Salvatoris nostri monitum, de cavendis falsis Doctoribus, tanquam lupis; Matth. VII, 15. quod expendens Tertullianus, annotavit Lib. de Præscript. cap. I. (aliis IV.) p. m. 106. Instruit Dominus, inquit, multos venturos sub pellibus ovium, lupos rapaces. Quanam sunt istæ pelles ovium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? Qui lupos rapaces, nisi sensus & Spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delirescentes. Quibus planè consona, sed sermone prolixiore diducta habent Ambrosius Comm. Lib. VII. in Lucam cap. X. T. III. Opp. p. m. 128. 129. & Autor Operis Imperfecti in Matthæum, inter Opera Chrysostomi Homil. XIX. ad Cap. VII. Tom. II. p. m. 879. Fac enim, non esse hæreticorum intentionem directam, & tanquam ejus, quod per se appetant, blasphemare Deum; (quod fortassis otiosè & gratis non egerint:) facit ta-*

tamen inter alia ipsum honoris studium, ut neglectâ aut conculcatâ reverentiâ Dei & verbi divini, ea proferant, quæ explendo illi desiderio conducere quoquô modô arbitrantur, cumque vera ac trita dogmata religionis minùs servitura sibi putent, alia potiùs, sive excogitarent ipsi, sive excogitata priùs, amplectantur & commendent.

§. XIX. Quemadmodum autem Ambitionis vitium non solum penes illos est, qui apertè & nudô, quod ajunt, capite, ad honores dignitatesque & munera publica grassantur; sed & in his reverà locum habet, qui volunt videri defugere id, quod maxime appetunt; quales Philosophus *βαυκοντα-υσπυγς* appellat, id est, *fielè fastidientes*; ipsaque ambitio hæc vitiosa *ἀνξιμοϋς* vulgò nominatur: Conf. *Phil. Mel. Explic. Proverb. Salom. cap. XXIII. P. II. Opp. pag. 913.* Ita in hoc præfenti negotio (4) observamus, hæreticis quibusdam vitium ejusmodi causam impulsivam fuisse, qui, cum essent *ambitiosissimi*, attamen se honores querere, valde dissimularunt: dum intereà nihilominus dispositis aliorum animis, obliqua viâ aditum sibi ad honores sternerent. Nam, quod cap. I. §. VII. de *Novatiano* diximus ex *Eusebio*, hûc referendum est, scilicet, quod is tremendis quibusdam juramentis affirmaverit, se *Episcopatum non appetere*, mox autem, velut è *machina quadam in medium projectus, Episcopus apparuerit.* Nec injuriam fecerimus *Socinis Lelio* atque *Fausto*, quos *Eques ille Polonus* adeò non affectasse honores perhibet, ut, quos habebant, contemnerent; si tamen eos *ἀνξιμῶ* laborâsse dicamus.

§. XX. Nam & illud (5) haud difficulter cognoscitur, *ambitionem ipsam, quoad diversitatem honorum, etiam in diversis subjectis variare*: æquè uti homines plures delicati & intemperantes, cum gulæ omnes sint dediti, non tamen iisdem cibus potibusque æquè capiuntur

tor aut delectantur. Notum enim potius est illud *Horatianum*
 Lib. II. Epist. II.

*Tres mihi convivæ propè dissentire videntur,
 Poscentes vario multùm diversa palato.*

Ita nimirum nec omnibus idem honor aut dignitas deside-
 ratur, licet alicujus honoris cupiditate capti pariter tenean-
 tur. Et, ut statim ad rem præsentem de hæreticis accedam;
alios quidem vidimus, ipsò Episcopatum, tanquam mune-
 rum aut magistratum publicorum amore fascinosos, nova
 aut rara, simulque falsa & noxia dogmata sparsisse: nec ta-
 men negandum est, *alios* non minùs ambitiosos, nihilominùs
 ad munia ejusmodi publica non similiter contendisse; *vel*,
 quòd de illis impetrandis desperarent; *vel* quòd molestias
 & labores cum officiis conjunctos fastidirent; laudem verò
 famamque sublimioris doctrinæ majoris æstimarent. Itaque
 & illi, qui in *privata vita* perstiterunt, non ambientes, ac for-
 tassisè declinantes aut respuentes munera Ecclesiastica & gra-
 dus honorum; quando interim *sive* scriptis in lucem emissis,
sive sermonibus privatis, doctrinas falsas disseminarunt ac de-
 fenderunt, atque ita nominis sui claritatem affectarunt, re-
 verà ambitionis stimulis actos fuisse deprehenduntur. Ubi
 porrò perinde est, *sive* publicè celebrari mox cupiant; *sive*
 etiam tantæ celebritatis & famæ amplioris discrimina fugien-
 tes, à paucis in pretio haberi velint, donec fortè occasio
 detur, majorem de se diffundendi splendorem, ac vel post
 mortem inclarescendi. Unde etiam *Aerium* supra Cap. I § X,
 notavimus, qui factum Episcopalem majori fastu calcaverit;
 ac talia etiam aliorum ingenia esse ex *B. Bebelio* monuimus.
 Sed & *Socinos* §. IX. ostendimus, non ideò ab ambitionis culpâ
 immunes censerì posse, quod splendorem aulæ ac dignitatum
 aliàs fruendarum insuper habere viderentur; quando tamen
 somnia sua orbi Christiano venditare, ac tantò hiatus gran-
 dia quæque & cunctis retrò seculis incognita promittere au-
 si fuerunt, immortalitatem nominum suorum, *Lalios* quidem
 per *Faustum*, cœpta illa exculturum & consummaturum; hic
 au-



autem per sua ipse opera, velut ære perenniora; ac regali Pyramidum situ altiora monumenta, sibi paraturi.

§. XXI. Nec prætereundum, sed meritò potiùs (6) observandum est, quod aliqui hæreticorum *ex ipsis certaminibus*, partim *eruditionis gloriam*; si quando à *Doctissimis Viris impugnarentur*, & ex adverso disputare ac pugnam aliquandiu sustinere possent; partim *patientie laudem* quæsierunt, si acerbius dicta velut *insectationes aut odia publica*, quin ipsam *excommunicationem*, animo forti & imperterritò *sustinerent*. Constat ex morali philosophia, inter species fortitudinis apparentis, simul autem inter ambitionis species eam quoque referri, quâ homines audaces se periculis exponunt præter necessitatem atque honestatem, ac validiores laceſſunt, ut fortitudinis sibi laudem sumant, licet fortasè inferiores in certamine futuri: prout quendam, inconsultâ pugna victum & vulneratum, cum eò nomine illuderetur, dixisse ferunt: *Attamen pugnavi*. Sed & aliàs, velut proverbio Ecclesiasticò dicitur: *Etiã Diabolum habere suos martyres*; qui per tolerantiam multarum passionum Satanæ regnum promovent: dum in malam causam, neque ad Dei gloriam, ac præter officii exigentiam, sibi ipsis mala accersunt, præsertim ut ipsi sic inclarescant, & cum milite glorioso, *vulnera sua*, aut *cicatrices* saltem, ostendere possint. Quod & Stapletonus agnoscit Relect. contr. II. Q. III. art. III p. 201. Bellarm. Lib. IV. de Notis Eccl. cap. I. §. Superest. cap. II. §. Tertio, seq. Sic autem Sociniani non pauci scripta sua Academiis variis dedicârunt, & *Valentinus Schmalzius* Catechismum Racoviensem Theologis Wittebergensibus obtulit, sub specie quidem commendandi istam doctrinæ formam illi Collegio, unde olim Reformatio corruptæ religionis initium acceperat; reverà autem, ut eos, qui
in

in Ecclesia Lutherana eminebant, ad pugnam provocarent, tantoque majores ipsi viderentur, quanto celebriores habituri essent adversarios. Vid. *Cloppenburg*, in *Anti-Smalcio*. *Donatistas* autem etiam mortis oppetendæ cupidissimos fuisse, ut doctrinam suam hæreticam hæc ratione possent confirmare, ex *Augustino* novimus *Epist. L. ad Bonifac. Tom. II. p. m. 81. Conter Baron. ad Ann. CCC XCIV. §. 56. Prateol. Elench. hæret. Lib. IV. cap. XIV. de Donatistis, p. m. 147. Gnosticos quoque, Montanistas & Messalianos idem consuevisse, testes sunt *Clemens Alex. Lib. IV. Strom. pag. 479. Prateolus Elench. hæret. Lib. XI. cap. XXXIIX. de Montanistis p. 336. Bellarm. Lib. IV. de Not. Eccl. cap. II. §. Tertio, quia. Quos tamen martyres Diaboli etiam Tannerus appellat, Lib. II. Dioptr. Q. IV. cap. XV. p. 411.**

§. XXII. Fac autem, hæreticos quosdam ex alia quacunque causa aut casu, non solum ad amplectendum errorem, verum etiam ad propalandum inductos fuisse; attamen nec ab his alienum est, sed potius (7) frequenter accidit, ut *ad tuendum id, quod profiteri cæperunt, quantumvis satis edocti, esse hæresin; ambitione stimulentur.* Scilicet eorum, qui honores amant, nemo facile videri vult errasse; nemo ad palinodiam se adigi libenter patitur. Et qui non consequendi novos honores cupiditate vexantur, servandi tamen eos, quos nacti sunt, desiderio ac sollicitudine plerumque tenentur. Hinc accusati de dogmatibus erroneis, tanto magis defendere student, quæ retractare nolunt, quando negare à se tradita, aut dissimulare non possunt. Quanquam ergo etiam ii, quos ad excogitanda, aut saltem ad docenda & spargenda dogmata nova & falsa, permovet ambitio; eodem stimulo ad tuenda eadem impellantur, atque ita magnò numero hæretici huc referri possint, quos antè spectavimus: jam tamen illos duntaxat considerare jubemur, qui, cum aliunde in errores illapsi videantur, hos nihilominus pertinaciter & vel contra conscientiam, spretis aliorum monitis ac demonstra-

tio.



tionibus, quæ semel statuerant, defendere allaborârunt. Nestorius fortâsse nec excogitandi nec docendi dogmata præter Scripturam, directam animo intentionem habuit: quem Socrates testatur solam Deipare vocem impugnasse: & addit: Christum enim nudum hominem ab illo non dici, sicuti Photinus & Paulus Samosatensis dixerunt, homilia ab illo edita satis docent. In quibus nusquam verbi & Dei hypostasin tollit, sed personam illud habere ac substantivum esse (ἐνυπόστατον ἢ ἐνὸς ὄντος) ubique profitetur &c. Lib. VII. cap. XXXIII. p. 376. Sed cum Cyrillus Alexandrinus per Epistolas semel iterumque & humaniter monuisset eum, ut si excidisset sermo, eum seriâ retractatione emendaret, ac dilectionis & concordia vinculum inter Sacerdotes indissolutum servaret; (quod ex Actis Concilii Ephesini constat;) is autem, quamvis omninò certum esset, stante assertione istâ & aliis similibus, ipsam unionem personalem duarum naturarum in Christo sublatum iri, adeò non cederet, ut etiam in Concilio Ephesino diceret: Ego eum, qui bimestris ac trimesis extitit, Deum appellare non possum; ac deinceps, cum reliquis Episcopis, qui ipsius sententiam sequebantur, congregari cœpisset; quis dubitet, retinendi honoris sui nimis fuisse tenacem, indeque pertinaciam defendendi ipsum errorem contraxisse. Nam quod Socrates l. c. cap. XXXIV. refert; Nestorium, cum rebus confusis ac perturbatis animadvertisset contentionem usque ad communionis perniciem devenisse, pœnitentiâ fuisse ductum, ac Mariam Deiparam appellare cœpisse, his verbis: Dicatur, si placet, Maria Deipara, & similitas omnis conquiescat: Verùm licet mutatâ sententiâ hæc diceret, neminem tamen illud admisisse: id quidem documento est, Nestorium recuperandæ dignitatis causâ, cum aliter posse se desperaret, revocasse hæresin; non tamen obstat, quò minus antea revocare detrectaverit, ne honorem suum ipse minueret, quem facundia suâ & favore populi fretus, nihilominus conservaturum se speraverat. Similiter Eutyches non putatur datâ operâ sententiam à fide alienam, studio gloriæ ac honoris fuisse amplexus; Sed cum Nestorii errorem confutare vellet, imprudenter incidisse in errorem contra;



trarium. Attamen ad defendendum errorem & respuenda aliorum monita, haud dubiè permotus est studiò servandi honoris, & quia pudori sibi ducebat, retractare quod statuerat. Vid. *Theod. Althusius* l. c. Talem autem fuisse lapsum, *Matthie Flacii*, non minus constat ex dictis cap. I. §. XXII.

§. XXIII. Atq̃ ita denique (8) notamus, quod interdum homines, qui non solum ad agnitionem, sed & depositionem erroris perducti fuerunt, quando tamen hinc ignominie quodam sensu, sed & spe inveniendi applausum, si propugnauerint priorem sententiam, tanguntur, desiderio hoc ad repetendam heresin impellantur. Ita de Noëto vidimus ex *Epiphano* Cap. I. §. VI. quòd is errorem abjuratum renovaverit, ambitione nominis sibi comparandi ductus. Et de *Johanne Agricola Islebio* constat, quòd cum à *Luthero* rectius institutus, in ejus sententiam concessisset, idque scripto publico testatum fecisset, ac revocationem à *Luthero* præscriptam, *Wittebergæ* in Auditorio publico recitasset; ad vomitum tamen reversus, venenum suum denuò spargere, eodemque inficere alios non erubuerit. Vid. *P. Piscator* l. c. *Matthes*, de vita *Luth.* conc. XII. p. 120. & *Lutheri* Opp. Tom. VII. Jen. Germ. fol. 292. b. Quibus observatis, jam de negotio hæreseos dixeris: *En ! quantum ambitio possit svadere malorum !*

§. XXIV. Diximus autem §. XIII. ambitionem non solum per modum causæ impulsivæ se habere, verum etiam II. tanquam id, quod removeret impedimenta hæreseos. Nimirum, ea, quæ homines doctrinæ religionis sinceræ confessores & tenaces reddunt, hòc ipsò simul impediunt aut excludunt oppositas hæreses. Atque huc pertinet 1) *Veritatis ipsius studium*; ideòque 2) *principii ejus*, id est, *Revelationis divinae scrupulum diligens*; idque 3) *pium seu religiosum*, cujus finis est, *Dei cultus & gloria*. 4) *cum agnitione propria infirmitatis*, quæ ex

COR-

corruptione facultatum animæ nostræ oritur; adeoq̄ cum
diffidentia erga nos ipsos conjunctum. 5) à studio partium alienum:
 potius 6) ad regulas bonæ interpretationis Scripturæ S. quaslibet
 restrictum. 7) Preces ad Deum pro illuminatione mentis, aut lar-
 gitione virium spiritualium ad supernaturalem assensum verbo
 divino præbendum. Quorum alia directe, alia indirecte con-
 ducunt ad agnitionem & custodiam veritatis cœlestis, in his,
 quæ ad fidem & mores spectant: atque ubi locum habent,
 retinent utique hominis animum intra terminos *orthodoxias*,
 fidei & confessionis, & immunem ab erroribus noxiis eorum-
 que professione aut patrocinio præstant. His autem omnibus
adversatur Ambitio superius descripta, quanquam in varias sese
 formas induens; & nunc plura, nunc pauciora, aliqua ta-
 men, hæreseos impedimenta tollit, adeoque illi *partim* in-
 gressuræ in animos hominum; *partim* ut radices agat firmio-
 res, ac porro placeat aut defendatur, occasionem aut causam
 præbere cognoscitur.

§. XXV. Quæ ut clariùs pateant, distinctè ostende-
 mus singula. Certè 1) *veritatis ipsius studium*, si non omninò
 aut simpliciter; secundum quid tamen, tollit ambitio;
 quando homines *honoris potius studiosi, parum
 pensi habent, vera? an falsa? teneant; mo-
 dò suo fine potiri possint*: Itaque non tam
 ad cognitionem solidam tendunt, sed vel perfunctoriè
 aut superficialiter aliquid, didicisse contenti, tanto fa-
 ciliùs in errores labuntur, quos deinde etiam firmissimè re-
 tinent & propugnant. Et qui opinione aliqua dignitatis aut
 perfectionis suæ jam occupati superbiunt, eò minus soli-
 citi sunt de inquirenda veritate, quò locupletiores sibi in
 doctrinæ acquisitæ opibus videntur. Ut quemadmodum re-
 ctè dictum est ab illo: *Multi ad eruditionem pervenissent, nisi se
 pervenisse putassent; sic eòdem jure possis dicere: Multi ad ve-
 ritatis cœlestis cognitionem solidam pervenissent, nisi se pervenisse pu-*

vassent. Itaque homines ejusmodi, qui sibi perfecti videntur, sæpè tamen fluctuant, quasi pueri & circumferuntur quòvis veniè doctrina, juxta illud Pauli Eph. IV. 14. Solent enim homines ejusmodi, ne quidem satis attendere ad statum controversiæ accuratè formandum tantum abest, ut inter oppositas sententias eam, quæ vera est, eligere, & confirmare; falsam autem fugere & confutare satis nòrint. Ita, inquam, immoderata dignitatem sive acquirendi sive partam tuendi cupiditas mentem obnubilare & veritatis jubar eripere solet. Esi enim (utemur porro verbis B. J. C. Dürrii in Disp. de Præjudiciis in rebus Theologicis §. LVI. pag. 25. Veritas formaliter sita est in conformitate objecti cum intellectu, neque adeò voluntas vel veritatem vel errorem intellectui, sive suadere, sive proximè & directè (videlicet citra respectum ad auctoritatem alterius dicentis aut testificantis) potest imperare; potest tamen eundem inclinare propositâ suavitate & splendore boni temporalis, ut vehementius inherens ejus considerationi intermittat diligentiorè veritatis investigationem, aut certè veritati substituât sententiam aliquam quomodocunque probabilem, & cum affectu appetitioneque ejus boni, cujus dulcedine mentem imbuat, consentientem; ad eum ferè modum, quò incontinens affectuum impotentia & voluptatum illecebris præceptus abreptus, non patitur mentem advertere, quòd hoc vel illud factum turpe sit, sed potius ad aliam opinionem suis affectibus gratam, utpote genium non esse defraudandum, nec corpori subtrahendam curam & delectationem, impellit: turbatâ interim vel impeditâ & constrictâ notitiâ principiorum practitorum. Quibus verbis simul etiam confirmantur, quæ suprâ de ambitione, tanquam causâ impulsivâ hæresium, diximus. Exempli locò iterum nobis esse potest Nestorius de quo Socrates l. c. cap. XXXIII. refert, quòd cum naturali facundiâ esset præditus, eruditus quidem visus (πεπαιδευμένος τῆ ἀληθείᾳ) reverà tamen indoctus fuerit. Libros etiam Veterum Interpretum (ad investigationem controversiarum ipsiusque veritatis facientes) hand quaquam legere dignatus &c. Neque alienum est exemplum Fausti Socini, qui quamvis ignorantix suæ sibi satis conscius, tamen *αὐθαδέα* excæcatus, maluit peculiare systema Doctrinæ Fidei



dei condere, quàm ejus, quæ recepta jamque purgata
erat, fundamenta, ipsamque veritatem sollicitius investi-
gare.

§. XXVI. Quodsi generaliter scrutinium veritatis im-
pedit, atque ita in errores præcipitat Ambitio; non est cur
dubitemus, (2) obstare eam *Revelationis divinae*, quæ
*principium est cognoscendi doctrinam fidei, scruti-
nium diligenti & genuino*. Constat exemplis anti-
quiorum hæresium; quomodo homines inflati, veram cer-
tamque revelationem divinam in Scripturis Prophetis & A-
postolicis contentam, tanquam nimis simplicem & planam,
contempserint; alias autem falsas ac fictas, vel ipsis dz-
monibus malis originem suam debentes, sed quæ myste-
ria, nescio quæ, pollicebantur, sectati fuerint. Pertinent huc,
quibus *Ἰσδούρι* & illa *ἡρώσις* *Gnosticorum* appellationem de-
dit; & *Valentiniani*, *Montanista*, *Cerdoniani*, *Marcionite*, *Manichæi*
& similes, qui revelationes varias & fallaces Scripturis sacris
præferre; libros ipsos autem Scripturæ plures paucioresve,
prosùs rejicere ausi fuerunt. Sed & *Enthusiastæ* recentiores
huc pertinent; ex quibus illud *Münzeri* vulgò innotuit:
*Gottes Stimm mustu selbst hören / und Gottes Werck in
dir leiden / und fühlen / wie schwer dein Pfund ist; Es ist
nichts mit der Schrift / ja Bibel / Babel / Babel &c.* Vid.
Luth. Tom. II. Altenb. pag. 791. a. Quibus respondent *Ana-
baptistarum* *Monasteriensium*, & *Davidis Georgii* deliria: quæ
Sleidanus, *Schlüsselburgius*, *Hoornbeekius*, *Ottius* aliique memo-
rant. Nec abluunt *Schwenckfeldius*, *Weigelius*, & sequaces,
quamvis mollius interdum loquantur. Alii traditiones non-
scriptas, velut Scripturæ defectum supplentes, ac sublimio-
ra ac abstrusiora continentem, sive prætulerunt, sive æqua-
runt verbo Dei scripto: uti *Artemonite* apud *Eusebium* Lib. IV.
c. XXVII. H. E. quibus etiam *Doctores Pontificios*, traditioni-
bus adeò superbientes, non immeritò accensueris. *Aliis, qui*



in Scripturæ lectione seduli & quotidiani & sagaces esse; fortè etiam non parum profecisse, videbantur; illud tamen accidit, quod *Paulus* dicit: eos, qui *volunt esse Scripturarum Doctores*, non intelligere, quæ loquuntur, neque de quibus asseverant, juxta *I. Tim. I. 7.* Scilicet non tam de vero sensu ejus assequendo, quàm ut possent suam θέσιν Φυλάττειν, solliciti fuisse deprehenduntur: quale vitium *Socino* & consortibus familiare fuisse certum est: de quibus meritò enunciaveris illud *Hilarii*, inverso quidem verborum ordine, quod non tam referre sensum è Scriptura, quàm asserre voluerint, cogentes hoc in dictis contentum videri, quod ante intelligentiam docere præsumserint. *Lib. I. de Trinit. p. m. 7.*

§. XXVII. Diximus etiam (3) ad certam veritatis celestis cognitionem non solam diligentiam scrutiniî sufficere, sed studium pium ac religiosum, quò ad Dei cultum gloriamq; destinetur opera, requiri. Nam & tota doctrina celestis ad DEI auctoris gloriam destinata est. Huic autem studio Dei gloriam promovendi aperte adversatur ambitio, quâ homo ad suam tendit gloriam. Sic ergò mirum non est, natos fuisse hæreticos, qui ut suorum peccatorum culpam à se removerent; Deum peccati auctorem; aut duo summa rerum principia, unum Bonum, Malum alterum, statuerunt: quales *Cerdon*, *Marcion*, & *Manes* cum *Manichæis* suis fuerunt. Alii, contra suæ sanctitatis & perfectionis opinione fascinati, cum naturæ vires extollerent, hostes gratiæ facti fuerunt. Quod *Pelagio* & sociis accidisse, supra notavimus. Sed & *B. Gerhardus* in *Dispp. Academ.* prolixè admodum ostendit, quomodo per *Pontificiorum*, *Calvino-Reformatorum*, *Socinianorum* & *Weigelianorum* dogmata, gloria DEI labefactetur. Nos autem radicem malorum fructuum notamus, quod homines in docendo ac disputando de his, quæ ad Religionem pertinent, non tam ad Dei honorem tendunt, quàm ad suum.

§. XXIX. Unde porrò patet, ambitionem etiam (4) hâc
ra-



ratione homines à veritate cœlesti abstrahere & in hæreses con-
 jicere solere, quod *proprie infirmitatis agnitione*
eos privat, & fiduciam potius sui nimiam ingene-
rat animis, quos erga se diffidentes esse oportebat. Equi-
 dem Scepticos aut Pyrrhonios in rebus fidei facere non debet
 cognitio fallibilitatis mentium nostrarum; cùm ex adverso
 quemque de sua fide; atque adeò etiam Doctores de doctri-
 na, quam aliis credendam proponunt, certos esse oporteat.
 Attamen, ut mentes revelationi divinæ accuratè inhæreant;
 infirmitatis suæ conscientia intra terminos necessariæ humi-
 litatis & sollicitudinis eas continere debet. Aliàs enim faci-
 lè fit, ut homines ultra vires & veritatis limites nimis altum
 sapiant, aut ubi divina revelatio, nihil vel aliud determina-
 vit, ipsi suâ sagacitate aut acumine mentis freti, dogmata
 peregrina condant aut amplectantur. Hunc *Abelardi & O-*
slandri, itemq; *Stancari* lapsum fuisse putamus, qui ingeniis
 suis & *Ἀελογισμοῖς* plus justo confisi, (& Osiander quidem
 Scripturarum non ignarus) ad claras revelationis divinæ
 sententias cœcutierunt; atque in tam graves inciderunt er-
 rores, à quibus vel planè non, vel ægerrimè divelli potue-
 runt.

§. XIX. Ad veritatis divinæ cognitionem cavendosq;
 errores ulterius (5) requiri animum à studio partium alienum,
 monuimus. At quorum animos occupavit ambitio, hos vi-
 deas partim *eorum, qui ambitione aut gloria ipso-*
rum serviunt, sententias erroneas, sive tales cogno-
scant, sive non satis exploraverint, promptius amplecti ac
defendere; partim ab *aliis, quos incrementis aut*
fruitioni honorum suorum obstare putant, præter
causam dissentire, atque ita vel imprudentes in
errores oppositos etiam morosius defendendos illa-

bi



bi aut ruere. Sic Nestorius, cum Anastasium, sui honoris augendi ministrum haberet, ideoque colendum sibi mutuis officiis putaret; is autem scandalosum adversus Mariam Deiparam sermonem primus in medium protulisset; non passus est, à Clero & populo se induci, ut hominem compefceret. Nam ex adverso eum potius publicè defendit, sicque erroris confors & propugnator factus, tandem pro hæretico declaratus fuit. Vid. Socrates l.c. Eutyches autem per ruinam Nestorii augmentum honoris quærens, non satis ad quæstionis aut controversiæ statum attendit: sic in contrarium errorem illapsus, novam hæresin orbi dedit. Atque huc fortasse Flacianorum & Stancari lapsus non abs re referemus: juxta Cap. I. §. XX. & XXI. §. XXX. Ad veræ doctrinæ ex Scripturis impetrandam cognitionem, necessariam esse: (6) diximus observationem regularum bonæ interpretationis: earum videlicet, quas vel sana ratio in interpretatione quorumvis sermonum aut scriptorum requiri agnoscit, vel Scriptura S. ipsa suppeditat & commendat. Sed *ambitiose mentes leges istas interpretationum non patiuntur*; certè non adeò sollicitè, uti par erat, observant. Sic Schwencfeldio, Weigelio aliisque Enthusiastis sua fraudi fuit ambitio, quos novimus, lumen sibi divinum ac de vero Scripturæ sensu non minùs, quàm de his, quæ præter Scripturas cognoscenda essent, certitudinem fuisse pollicitos, per immediatam Spiritûs Sancti operationem, ut non opus haberent observatione regularum, quas velut humanas & steriles, contemnebant, imò oderant. Unde porro factum est, quod repudiato sensu literali, spirituales pro lubitu confinxerunt; quasi ille ex homine veteri, ex naturali Spiritu mundi, ex Antichristo proveniat; vid. Weigel. Dial. p. 81. Libell. Disp. p. 29. 30. Postill. part. II. p. 243. imò plus causetur damni & impedimenti, quàm commodi, & idcirco Christianis sit fugiendus. Idem Postill. P. III. p. 85.



p. 85. Conf. B. Theod. Thumm. Impiet. Weigel. Error. XII. seq. Sed nec Sociniani ab hoc lapsu immunes sunt, quos suæ sapientiæ persuasio adeò in transversum egit, ut palmariam illam regulam de sensu literali Scripturæ unicò, præter summam necessitatem neutiquam deserendo, audacter conculcent, dum *analogiam rationis*, quam vocant, pro analogia fidei & fundamento interpretationis Scripturæ S. substituunt. Inde ad Nostratum argumenta ex Scripturæ locis dextrè explicatis petita, vulgò respondent: *Potest hæc vox aliter intelligi.* Vid. Socin. contra Wujek. & Bell. p. 60. & 188. T. I. Bibl. FF. Pol. P. II. pap. 560. & 578. Crell. Resp. ad lib. H. Grotii de Satisf. Christi cap. I. T. II. Bibl. FF. Pol. P. I. p. 27. Conf. B. Hakspan. Dispp. Acad. p. 271. seqq. Denique B. Lutherus suò tempore in Carolstadio, Zwinglio & aliis similia deprehendit, quando in præfat. Syngramm. Tom. III. Altenb. p. 473. ubi occasione interpretationis verborum Institutionis, & quidem τὸ Ἔστι, pro, significat; Es ist/ ait, gar viel ein anders/ wenn ich sage/ das mag so heißen/ und wenn ich sage/ das muß so heißen/ und kan nicht anders. Auf das erste kan sich das Gewissen nicht verlassen/ auf das andere aber kan sichs verlassen.

§. XXXI. Restat, ut (7) expendamus, quomodo *neglectus precum impediatur homines ambitiosos à vera doctrina ex Scripturis petenda intelligentia, atque ita ex opposito eos in errores, ipsasq; hæreses præcipitet.* Sanè quedam in Scripturis ita comparata sunt, ut intellectus humani captum non excedant, v. g. exterior historiarum cortex. Possunt etiam homines nondum à Spiritu S. collustrati cognita habere Scripturarum dogmata, fidemq; historicam tenere per externum verbi ministerium: docente B. Gerharo Tr. de Interpret. Script. §. 54. p. 23. Ideoq; etiam eruditi verum Scripturæ sensum suâ operâ assequi possunt per observationem regularum hermeneuticarum. Sed quemadmodum, eòdem monente, *πληροφωρία* certam, solidam ac salutarem notitiam (tanquam sensus à Deo ipso intenti) habere non

possunt, sine Spiritu Sancto interiorius mentes illuminante : ita fatendum est, fieri posse & solere, ut homines, illuminatione gratiosâ Spiritus Sancti carentes, dum dogmatum Scripturæ πληγ-
Φοβία certam, solidam ac salutarem notitiam non habent, hoc ipso variis præjudiciis expositi, etiam fidem historicam five assensum humanum uni aut pluribus dogmatibus Scripturarum denegent ; atque ita porro, non obstante Scripturarum perspicuitate, negativam aut contrariam sententiam, si qua suâ probabilitate aut convenientia cum appetitu corrupto se commendet, amplectantur. Itaque ad impetrandam quidem gratiosam Spiritus S. illuminationem, quâ ab ejusmodi lapsibus præservemur, preces sunt necessariae : orandus Pater, ut trahat nos ad Filium ; orandus filius, ut manifestet nobis Patrem : orandus Spiritus S. ut ipse scribat in corda nostra & obsignet ea, quæ exteriorius in verbo proponuntur : juxta Gerhard. l. c. §. 50. p. 21.
 Jam verò, qui honores intemperanter amant, aut suæ perfectionis imaginatione insolescunt, vel à precibus, saltem privatis, & pro impetrando dono divino & supernaturali Spiritus S. abstinent, aut nimis parci in eis sunt & infrequentes, vel certè non orant ex fide, quia non cum humilitate animi ; ita nec exaudiuntur : sed periculis expositi atque impares, uti in aliam mala, sic in errores atq; hæreses haud raro labuntur. De *Michaële Serveto* novimus, adeò alienum fuisse à precibus, ut sub ipsum vitæ finem, cum jam pronunciata esset de eo capitis supplicio afficiendo sententia, vix posset persuaderi, ut populus juberetur pro se preces ad Deum fundere. Vid. *Schlüsselb. Haornb. Cloppenb. II. cc.* De *Socinis, Lelio & Fausto*, cum omnia laudis argumenta conquissivisset Eques ille Polonus, à studio precum commendare ausus non est. De *Thoma Münzere* autem constat, quàm ineptum & superbum, simul blasphemum orandi modum suos docuerit ; scilicet, ut *dubitantes, an verum sit, quod in verbo legant & audiant, talem sensibilem revelationem petant, ut nihil dubitationis vel dissidentiae reliquum sit.* Et quidem ita orare jussit suos auditores, exspuentes in cælum : *Vater/ gib mir ins Hertz die ausgestrachte Lust zu deiner Gerechtigkeit/ wo nicht*

nicht/ so wil ich dich und alle deine Apostel verleugnen. Refert *M. Chemnitius* P. I. LL de Lib. Arbitr. c. II. X. p. m. 203. a. Qualiter ergo Magistrum orasse cogitabimus?

§. XXXII. His autem consideratis, jam facile erit demonstrare, quod §. XIII. tertio loco enuntiavimus, superbiam aut ambitionem habere se ad hæresin per modum *causæ meritoria* aut *demeritoria*, quatenus *per eam fit, ut homines justo Dei judicio, sicut in alia mala & peccata, ita in heresin labantur, & pœnas ambitionis luant.*

Nam & ambitionem & hæresin peccata esse constat; nec ignotum est, quod vulgò dicitur: *Deum peccata peccatis punire*: Aut si phrasin Paulinam malis; eos, qui *cum cognoverint Deum, tamen non, ut Deum, glorificarunt; neque gratias ei egerunt, vanos factos in ratiocinationibus suis fuisse, & obtenebratum insipiens cor eorum: & cum delitarent se sapientes, stultos evasisse.* Rom. I, 21. 22. Neque enim de Gentilibus idololatri tantum hoc valet; verum etiam de hæreticis, qui sibi ipsi idola sunt, quos ideò *Deus non minus tradit in reprobam mentem* v. 21. *εἰς ἀδόκιμον ὄν*, quod *Erasmus Schmidius* reddidit, *in mentem omnis judicii expertem.* Quod quidem non ita intelligi volumus, quasi statuamus, Deum, peccatò ambitionis aut superbiæ humanæ impulsus aut motus, jam speciali quâdam operatione positivâ inspirare illis sententias falsas, fidei fundamento adversantes; aut determinare mentes influxu positivo ad talium errorum, undecunque haustorum, assensum; voluntatem etiam determinare ad amorem eorum, & ad propositum firmum actusq; ipsos disseminandi & propugnandi eosdem. Absit à nobis hæc hæreticis ipsis relinquenda, aut potius in illis reprobanda ac damnanda sententia! Rectius omninò *Cyprianus* L. de Unit. Eccl. qui VII. est Tom. II. Opp. apud Cestriensem p. 111. (Pamelio Liber III. est) *Hinc Hæreses & facta sunt frequenter & fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Fieri verò hæc Dominus permittit, & patitur, manente propriae libertatis arbitrio, ut dum corda & mentes nostras veritatis discrimen*



examinet, probatorum fides integra, manifestâ luce clarescat. Hoc tantum est, quod sustinemus: Quemadmodum homines ad id, ut veram fidei doctrinam certâ, solidâ, & salutari cognitione amplectantur & teneant, opus habent supernaturali & gratiosâ Dei operatione, quâ mentes ipsæ illuminentur ac dirigantur, simul à tentationibus ac seductione Satanz, Mundi & Carnis præserventur aut liberentur, ne horum operâ & infidiis errores pro veritate cœlesti insinuentur animis & persvadeantur; ita ex adverso fieri, ut peccatum ambitionis aut superbiæ Deum moveat ad denegandam illam gratiam, indebitam, ac potius ad deserendum illum hominem ac relinquendum istis infidiis ac periculis, & pro gravitate delicti, ad tradendum eum potestati Satanz & propriis cupiditatibus, unde aut nunquam, aut ægerrimè eluctetur. Tristia sunt, sed meritò notanda, quæ de lapsû Montani, Enthusiastarum Patriarchæ, memorat Eusebius Lib. V. Hist. Eccl. cap. XVI p. m. 180. eum, ἐν ὀπιθυμία ψυχῆς ἀμέτρω, φιλοπερσείας δόντα πάροδον, εἰς ἑαυτὸν τῷ ἀντικειμένῳ, πνύματι Φορηθῆναι τε καὶ αἰφνιδίως ἐν καθ' ἑξῆς τινὶ καὶ παρεκκλίσει γινόμενον ἐν θύραϊν, δεξασθαιτε λαλεῖν καὶ ζενοφωρεῖν ὡς εἰ τὸ καὶ ὡς ἀδοσοῦν καὶ καὶ ἀδοχίῳ ἀναθεῖν τῆς ἐκκλησίας ἐβδ. δῆθεν ὡς φητέουσα. Cum immodicâ primi loci cupiditate captus esset, aditum in se adversario spiritui præbuisse: & Damone repletum subito quodam furore ac mentis excessu concuti cœpisse, & nova quedam ac inaudita proloqui: variolantem ac predicentem futura, præter morem atque institutum Ecclesie à majoribus traditum, & continuâ deinceps successione propagatum. Generaliter autem Cyprianus l. c. de Unit. Eccl. sub init. p. m. 105. de Satana hæresium auctore; Rapit de ipsa Ecclesia homines, & dum sibi appropinquasse jam lumini, atque evasisse seculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit; ut cum Evangelio Christi, & cum observatione ejus & lege non stantes, Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris habere se lucem existiment; blandiente adversario atque fallente, qui secundum Apostoli vocem transfiguratur se velut angelum lucis, & ministros subornat suos, velut ministros justitiae; afferentes noctem pro die, meritum pro salute, desperationem sub

ob-



obtentu spei, perfidiam sub pretextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Similiter Johannes Climacus in Opusculo, à quo nomen habet, quod Climax vulgò, aliàs Scala Paradisi dicitur, Gradu XXII. Superbiam inter cætera Epitheta appellat divini adjutorii expulsionem, stuporis præcursores, lapsum ministram, casus materiam. Tom. V. Bibl. PP. edit. 3. Paris. p. 324. C. Quibus accensemus, quod post Hilarium & Augustinum etiam Nic. Lyranus verba illa Christi Matth. XI, 25. de mysteriorum divinatorum absconsione coram sapientibus; sic exponit: Qui confidunt in Sapientia humana, illos privari mysteriorum divinatorum revelatione, est bona & justa Dei voluntas.

§. XXXIII. Hæc autem, quæ hæctenus diximus, non tantum valent de ambitione, quæ circa bona externa, aut humana & naturalia quælibet, etiam interna, occupatur; verum etiam de illâ, quæ aliàs peculiariter *Spiritualis Superbia* appellatur: atque in eo consistit, quod quis vel opinione bonorum spiritualium ac supernaturalium, quæ habet, inflatur; fortè etiam majora, quàm habet, præsumit; vel desiderio inordinato sublimiorum, quæ sunt præter statum fidelium in hac vita, ac præter promissionem divinam, inardescit. Ita enim fit, ut aliqui in ipsa fide suâ & cognitione mysteriorum; alii in progressibus quibusdam in cultura virtutum Christianarum, sibi nimium placeant, aliosque præ se contemnant. Fit etiam, ut aliqui ea, quæ Deus non revelavit, sed sibi cognita & futuro beatorum statui cognoscenda servavit, v. g. futurorum contingentium, ante ipsos eventus, liquidam præscientiam; alii sanctitatem perfectam, *ἀπείθεον* aut *ἀναμαρτητοῦ* temerè affectent, aut jam assecutos se arbitrentur & intumescant. Quibus casibus non minus facilis est lapsus, uti in alia mala gravissima, sic in ipsam hæresin. Nam si altera illa, quæ circa mundanos honores versatur, ambitio excæcare potest ac solet animos hominum, atque investigationi veritatis obstare; hæc sanè spiritualis superbia multò magis id potest. Fac, hominem cognitione verâ ac diffusâ eorum, quæ in Scripturâ, cum verbis expressis, tum per firmam consequentiam sunt revelata, unâ cum assensu su-

pernaturali, divinitus esse donatum: Quodsi tamen, mente in se reflexâ, sui admirator & venerator, dicam? an adulator? factus fuerit; annon fieri posse putabimus, ut in unâ alterâve quæstione graviore, præsertim indulgente aliquid Deo Judice tentatori Satanæ, cœcutiat? Annon porro contingere poterit, ut vel levibus initiis à veritate deflectens, mox ex vi consequentiarum in graviolem implicetur errorem? Annon denique accidere poterit, ut semel illapsus in errorem, tantò minùs hinc extrahendus sit, quò magis priorum suorum progressuum & acquisitæ cognitionis, connexorumque bonorum spiritualium recordatione & imaginatione se pascit ac securum reddit, & nihil minùs, quàm se adeò graviter errasse, cognoscit? Nimirum his gradibus in illud barathrum descenditur: ac vel ex levibus initiis mala gravissima nascuntur.

§.XXXIV. Quod si *Vincentium Lirinensem* audiamus, in *Comonit. adv. prophan. hæres. novit. c. XXIII. p. m. 241.* ipse nobis exemplo fuerit *ORIGENES*, ille inter lumina Ecclesiæ veteris haud immeritò numeratus. Sic enim is de illo: *Hic Origenes tantus ac talis, cum gratiâ Dei insolentiùs abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibi que satis credit, cum parvi pendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones & Veterum Magisteria contemnens, quædam Scripturarum Capitula novo more interpretatur, meruit, ut de se quoque Ecclesiæ diceretur; si surrexit in medio tui propheta; Et paulò post: Non audies, inquit, verba Prophete illius. Et iterum, quia tentat vos, inquit, Dominus Deus vester, utrum diligatis eum, annon. Equidem non nescimus, Origenem ab *Eusebio*, *Ruffino* atque *Socrate* jam olim defensum; ac, non obstantibus variis aliorum accusationibus & condemnationibus, à *Didymo Alex.* *Gregorio NeoCesar.* *Methodio*, *Basilio M.* & *Gregor. Naxianzeno* valdè laudatum; à *Joh. Pico*, *Mirandulæ Comite*, *Gilberto Genebrardo*, *Jacobo Merlino*, *Victurnienfi* & *Petro Halloixio* patrocinium ejus susceptum fuisse: Sed & recentissimos *Scriptores Joh. Daniele Huetium*, *Joh. Rud. Wetstenium*, & *L. Ellies du Pin*, cum omnia non possent excusare, multa tamen Origeni afficta diluisse, de reliquis moderatè ad-*

modum sensisse. Attamen simul meminimus, quomodo B. Lutherus in Glossa ad Apocalypsin Johanneam Cap. IIX. v. 10. II. per stellam illam magnam, instar facule ardentem, quæ de cælo ceciderit, & tertiam partem aquarum in absinthium converterit, ut multi hominum morerentur; Origenem designari docuit: quam sententiam Nostrates non parvò numero sequuntur; in primis autem propugnant Matth. Høe in Comment. P. I. m. seqq. & Joh. Cluverus Diluc. Apocal. p. 315. seqq. Sed & B. J. C. Dannhauerus, Christeid. p. 230. scripsit: *Ex infelici hereticorum catalogo, omnibus expensis, eximere vix licet Origenem & Tertullianum, magna pridem lumina, cælo elapsa, ac in ignes fauos conversa.* Quanquam nobis h. l. sufficere potest, quod Max. Rev. Dn. D. J. Fechtius, Rostochiensis Academiæ, uti Ecclesiæ nostræ totius, hodiè ornamentum, in Dissertatione doctissima, juvenilibus annis sub præsidio B. J. Meisneri habita, prolixè exposuit, Origenem ab heresi quidem formali, ut loquuntur (ad quam, præter errorem in fide, etiam convictio, contumelia, & propositum seducendi pertineant) absolvi posse, sed erroribus tamen, neque paucis, neque levibus, sed qui reverà in fidem impingerent, fundamentumque eius convellerent, obnoxium fuisse: studio quoque & verbis ad decipiendum composuis insolentiam sententiarum suarum occultasse, & maluisse premissas aperire eruditis, quam conclusionem promiscue plebi. Vid. in primis §. XIII. XXIX. seqq. LIII. & LXIII.

§. XXXV. Peculiariter etiam notandum est, quod Johannes Climacus in Opusculo, antè citato Gradu XXII. & Johannes Gerson de discernendis veris visionibus à falsis, observarunt, hinc maxime Enthusiasmos & lusus ac deceptiones gravissimas mali Dæmonis originem habere, quòd homines, quantumvis Christiani & sanctitatis studiosi videantur, superbiæ vitio, revelationes singulares & extraordinarias, aut optant intemperanter, aut amplectuntur. Sic enim ille l. c. Tom. V. Bibl. PP. edit. III. Paris. p. 325. B. C. *Cum in suis operariis locum ceperit demon, tunc jam ipsis in somniis, aut per visum in figura sancti Angeli vel martyris alicujus apparens, mysteriorum revelationem vel gratiarum munera largitur, ut per hunc modum seducti miseri, perfectè demum sensu integro*


gro & sanctitate mentis excidant. Hic autem p. 15. edit. novissimæ, quæ
 auspiciis Serenissimi Brunsvicensium ac Luneburgensium Ducis,
 RUDOLPHI AUGUSTI, quem Deus servet! nostrorum temporum
 usui donata est; Si cognoveris aliquem, ait, qui per superbam curiosita-
 tem & vanam laudem atque presumptionem sanctitatis cupidus sit habere
 revelationes insolitas, qui se dignum istis reputet, qui in talibus de
 se narrandis gloriabundus delectetur; scito, quod illudi mereatur. Ne-
 que magni pendas, si aliquam habuisse revelationem jactanter affirmet.
 Deest enim pondus humilitatis. Et pag. 50. Si presumptionis Spiritus
 obrepserit, subintrabit facile vanitas illusionis. Quanquam talia ferè
 per totum opusculum traduntur & inculcantur. Quibus re-
 spondent, quæ in adjecto ejusdem opusculo altero, de Proba-
 tione Spirituum p. 71, habentur: Dicitur non potest, quantum curio-
 sitas vel cognoscendi futura & occulta, vel miracula videndi vel facien-
 di fefellerit plurimos, & à vera religione frequenter averterit. Hinc,
 addit, superstitiones in populis, quæ religionem inficiunt Christianam
 &c. Possemus plura in hanc rem afferre, sed quæ vel ex dictis
 præsumi, vel ad ea facile revocari queant. Nobis ad postre-
 mam Dissertationis partem properandum est.

CAP. III.

De

Remediis, heresi ex ambitione nascitura op-
 ponendis.

§. I.



Vanquam hæresibus nunquam careat, aut ca-
 ritura sit Ecclesia Christiana: cujuslibet ta-
 men hominis Christiani est, ne ipse in hæresin
 labatur aut hæreticus fiat. Nec minùs Ec-
 clesie incumbit, venienti occurrere morbo, &
 quantum in se est, impedire, ne vel veteres
 recrudescant hæreses, vel invehantur novæ.
 Sed quemadmodum, qui corpora humana in-
 festant morbi, uti pro diversitate causarum variant, sic rectis-
 simè

firmè præcauentur aut tolluntur, si causas cujusque remove-
ris aut excluderis : ita h. l. dum non de quibuslibet hæresium
quarumvis remediis, sed earum, quæ ex ambitione nascuntur,
agendum est ; facile apparet, considerari debere, quæ ipsi am-
bitioni præcludendæ, aut, ne in hæresin prorumpat, ressecandæ
servire possunt.

§. II. Distinguiamus ea in classes duas, quatenus aliqua
singulis, quibus ipsi utantur, ut ab hæreseos malo præserven-
tur aut liberentur, præscribi solent ; alia *Ecclesie*, ne conta-
gio hæresium ex ambitione proficiscentium inficiatur, observan-
da & in usu constituenda veniunt.

§. III. Ad priorem classem quidem omnia illa pertinent,
quæ à Doctoribus moralis Theologiæ, tanquam *remedia contra*
Φιλοτιμίαν & κενοδοξίαν, in genere docentur : qualia apud *Joh.*
Climacum Gradu XXI. & XXII. *Marcum Marulum* in *Evangelii-*
stario Lib. VII. Capp. IX. prioribus, p. m. 337. seqq. *B. Dav. Chy-*
eraum Regg. *Vitæ* p. 57. seqq. *B. Balduinum* L. IV. *Cas. Conf.*
cap. II. Cas. IV. p. m. 680. *B. Gerhardum* in *Schola Pietatis* Lib. III.
cap. XV. p. 325. seqq. *Joh. Hoornbeekium* in *Theol. Pract.* Lib. X.
cap. VI. & VII. *Johan. Abrenethum* in *Medicina Animæ, Sees-*
len-Arznei / *cap. XXXII.* p. m. 1098. seqq. *P. Molineum* vom
Seelen Frieden / *Lib. III. cap. IX.* p. m. 453. seqq. *Rich. Baxter*
von Verleugnung sein selbst / *cap. XLI.* p. 363. seqq. & alios ha-
bentur : quæ huc transcribere nec opus est, neque vacat. Sed
& satis erit, vel verbo commendasse libellum brevem, sed nobi-
lem utilemque, ab *Alberto Dranckmeistero*, *Ulcensi*, editum, von der
innerlichen geistlichen Hoffarth &c. qui *Emanuelis Sonthomii*
güldenem Kleinod junctus legitur in edit. *Argent.* 1636. & re-
centioribus aliis.

§. IV. Facile, opinor, est intelligere, quod tam clarè &
solidè ostenderunt Auctores *turpens* esse, & *vanam*, & *molestam* &
maximè *noxiam* ambitionem ac superbiam, quamcunq; etiam in
formam sese induat, ac si vel humilitatis larvâ ornari studeat.
Præcipuè autem observandum putamus, quod *J. Climacus* l. c. p.
325. E. scripsit : *Nescio quò pacto seipsos plerique superbi latuerunt,*
cum

cūm se putarent esse impassibiles, in exitu paupertatem suam cognoverunt. Cui consonat illud Gersonis l. c. p. 39. Sic est planè, quod vitiosi de propriis vitiis, ut de tenacitate parvus, de arrogantia superbus, perversè conjecturent, & tanquam acrisiâ percussi palpent in meridie. Nimirum crassæ quidem illi appetitioni gloria, quæ dignitates & honores munerum publicorum, famæ, & similes, cum manifestâ injuriâ aliorum quarit, argumenta illa à turpi & noxio ita repugnant, ut non tam difficile sit, ea cognoscere, quàm vehementiam motuum voluntatis ad bona illa caduca inclinatæ coercere ac retundere. Itaque v. g. ad fugam inordinatî amoris dignitatum Ecclesiasticarum, laudis ac famæ, non solum interdictum, ira & comminationes divinæ, honoris ipsius fugacitas, adversitates ut plurimum conjunctæ, unâ cum exemplis gravissimorum lapsuum & pœnarum horribilium meditanda esse rectè dicuntur. Illis, quos sua sive doctrinæ, sive eloquentiæ, aliorumque donorum affluentia in transversum trahit, defectuum adhaerentium consideratio meritò injungitur, quod ea, quæ sciunt, sint pars minima eorum, quæ ignorant: quod, qui unâ in re aliis præstare videtur, in multis inferior sit reliquis: qui de successibus suis aut meritis gloriatur, fortè ne minimam partem eorum, quæ debuit, impleverit. &c. Neque quicquam præterea requiri videtur, nisi ut ad animum revertentur, eumque actu ipso flectant, quo ipsa ex se tendunt. Quare nos, brevitatis studiò, ista vulgò tradita, verbo solum indicavimus. Sed ut præjudiciis illis obviam eatur, quibus fascinatæ mentes humanæ, cūm maximè ambitionis aut superbiæ morbo sive tentantur, sive laborant, minimè credunt; ac speciatim, ne hâc viâ hæreseos malum sibi contrahant, qui Ecclesiæ operam suam addixerunt, & debent, sequentia monita, vel peculiari observatione digna putamus.

§. V. Primò omnium observandum est, quod graviter monuit D. Chytraus loc. cit. pag. 48. *Pertinacissime in omnium hominum cordibus heret venenum (superbiæ) quod Diabolus hâc voce: Erutis sicut Dii; primis parentibus afflavit: Omnes enim homines naturâ sum superbi: quod & repetit pag. seq. 57. ubi cūm superbi-
biam*



biam descripsisset, quod sine timore Dei & sine agnitione infirmitatis proprie, sese admiretur & magni faciat, propter certas dotes, & propriam sapientiam, sanctitatem & viribus confidat, & alios despiciat, & cum accidunt adversa, irascatur Deo, tanquam injustè punienti; addit, detestandè hujus & tamen omnibus familiarissimi vitii definitionem & exemplum clarissimum & maxime illustre singulos in nobis ipsis cernere posse &c. Sic autem initium salutis erit notitia peccati: ac tenellæ vitiorum fibræ subinde evulsæ non poterunt in stipitem adolescere firmiorem, neque inter alios fructus malos generare hæresin.

§. VI. Deinde ac speciatim cavendum est, ne, dum unam ambitionis formam declinamus, in alteram illabamur. Quam in rem scitum est, quod *Joh. Climacus* notavit exemplum hominis ascetæ, humilitatis Christianæ studiosi, qui de se sequentia narraverit: *Cum sederem, inquit, in cœtu quodam, advenientes ad me, Cenodoxia & Superbia Dæmones juxta me ex utraque parte sederunt: & unus ex his quidam digito suo illo novissimo pulsavit laus meum, hortans, ut aliquid, quod ad contemplationem pertineret, sive opus quodlibet in deserto à me gestum, loquerer. Quem, cum à me expulsem, dicens: Convertantur retrorsum & erubescant, qui mala cogitant mihi: protinus is, qui à sinistris erat, ad aurem mihi dixit: Eja bene fecisti, magnusq; effectus es, quippe qui impudentissimam matrem meam viceris! Ad quem ego ritè sequentes versus (ex Psalm. VI.) assumens dixi: Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Eja bene fecisti!*

§. VII. Sed, ut in ipsa doctrinæ sacræ tractatione ac propositione caveatur, ne opinio sapientiæ nostræ causa lapsus nobis in errores fiat, necesse porro a tertio est, meminisse quotidie, & inter ipsa negotia sacri muneris, connatæ nobis omnibus ac singulis originariæ labis, seu profundissimæ istius omnium animæ nostræ facultatum corruptionis: unde non tantum in rebus tanti momenti, quæ ad religionem attinent, nihil nostris viribus possumus; verum etiam à cœlesti veritate ad sententias erroneas propendemus, & si non ipsis principiis, saltem conclusionibus, immediatè aut mediatè inferendis, vel imprudentes contradicere audemus. Hæc enim infirmitatis nostræ meditatio, uti admirationem nostri, quæ primus superbiæ gra-

us est, formaliter tollit; ita diffidentiam quandam erga nos in nobis excitat, fiduciæ, quam in nostra sapientia collocaturi eramus, directè oppositam: hinc porrò securitatem in dogmatizando, aut sententiis singularibus affectandis, temeritatemque contradicendi aliis & propugnandi aut defendendi errores, excludit.

§. II. *Quarto* observetur ipsa doctrinæ Christianæ in-
doles aut natura, quæ *ἡ ἀνομιὰ τῆς πίστεως*, adeoque & submis-
sionem quandam animi, nihil sibi aut suæ sapientiæ ejusque ho-
nori aut gloriæ tribuentis; sed sollicitam & constantem verbi di-
vini observationem & custodiam postulat. Hôc enim velut fre-
nô coërcebitur animus, ne vanâ de se opinione conceptâ, vel
ultra verbum Dei sapere ausit, vel torquere dicta ejus ad sua
præjudicia aut commoda.

§. IX. *Quinto* Præsentia summi Numinis perpetua, quô
spectante & judicante omnes actiones nostræ internæ atque ex-
ternæ fiant, cogitetur: cui de omni otioso, nedum ad seductio-
nem aliorum composito, aut non attendentibus nobis tendente
verbo, rationem reddere oporteat. Quod si enim, juxta vetus
illud verbum: *De Deo etiam vera dicere periculosum est*: annon hu-
jus memor animus cavebit sibi à spargendis dogmatibus falsis,
aut incertis, ac novis; quantumcunque illa proponenti applau-
sum aut honorem conciliare posse videantur?

§. X. *Sexto* quantacunque sint dona, quæ possidemus,
observanda est causa finalis eorum, quæ non ad alendam super-
biam, contemptum aliorum & similes alios stultos affectus, sed
ad communem Ecclesiæ salutem juvandam referenda sunt:
rectè monente *B. D. Chytraeo* loc. cit. pag. 54. qui & illud
Bernardi laudat pag. 51. *Fidelis reverà famulus es, si de multa gloria Do-
mini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus
adherere contingat.* Nimirum summâ simplicitate animi & *εὐλι-
κενεία*, quam Scriptura vocat, opus est, quâ non ore tantum,
sed animo, dicamus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nominatimô da
gloriam!* Sic multa febriculosa eruditionis somnia vel præclu-
dentur, vel dissipabuntur, ne prolata Ecclesiam possint offendere.

§. XI,

§. XI. Itaque etiam si *sepius* fortè in his, quæ ad religio-
nem attinent, ultra ea, quæ aliis plerisque, aut etiam doctis qui-
busdam innotuisse videntur ; rarum ac sublime quiddam sa-
gacitate mentis aut studiò & scrutinio Scripturarum Sacrarum
nos affecutos putemus ; quod tamen nec necessarium est,
neque utile ad divini cultûs honorem atque augmen-
tum, quod in vulgus spargatur ; cavendum omninò est, ne ina-
niter, vanè & absque fructu ædificationis, vel consilii, *ad exone-*
randum tumorem animi à vento jactantia (ut verbis J. Gersonis ex
p. 18. 19. utamur) prolatum appareat, ac serò demum falsum
pro vero aut rariore mysterio nobis obrepisse cognoscamus.

§. XII. *Octavo*, si conatus nostri atque opera jam aliquan-
diu profuisse Ecclesiæ videantur, hinc autem titilletur animus
aliquâ sui complacentiâ ; mox ipsa hæc passio aut infirmitas a-
gnosceda, & quicquid hoc modo peccatum fuit, retractandum
ac deprecandum est. *Quoties nos, ait, Marcus Marullus, l. c. cap.*
VI. pag. 346. aliquò rerum successu quicquam efferrî contigerit, toties ad
nos reversi humiliemur, veniamque precemur pœnitendo : ne forte totam
iram effundat Deus in obstinatos, qui vindictam temperat adversus pœni-
zentes, misereturque supplicibus Signoscit. Et Joh. Climacus *Grad.*
XXII. p. 336. B. recenset, quomodo cum deprehendisset, Cenodo-
xiam & Superbiam in se quoque ingressas esse, & laceffere men-
tem suam, liberari autem ab ipsis cuperet, tandem ab illis, velut
ab invitis, extorserit hanc sententiam : Si te ipsum coram Domino ex
intimo cordis affectu semper accuses, nos ut araneas contemnes.

§. XIII. *Nonò*, quia juxta Gersonem de Prob. Spirit. pag. 66.
est *superbia quædam in intellectu, dum non vult subjici alieno judicio, sed*
instituit proprio : & nos supra vidimus, quosdam in hæresin,
fuisse lapsos, quòd non satis accuratè vetustioribus legendis operam
dedissent ; cap. I. §. XIII. Ideò ne nostræ nos opinio scientiæ
in errores præcipitet, operæ pretium, ac, vel necesse erit atten-
dere, quid ante nos viri pii doctique ac de Ecclesia benè
meriti in quæstionibus iisdem aut similibus & vicinis docue-
rint, & quibus argumentis ex Scriptura petitis suas sententias
muniverint, quibus formulis verborum, quòque consilio usi

fuerint; non, quòd ab humana auctoritate in doctrina Christiana fidei ac morum pendere consultum sit; (novimus enim, quàm multis præjudicium antiquitatis errorum causa fuerit;) sed quòd antiquiores illi multa nobis indicare possint & indicent, quæ nos nobis relictæ, & nostrâ præsumptione nixi, fortasè non æquè ac rectè aut promptè assecuturi eramus; jam autem his præeuntibus, adhibitò quantumvis propriò mentis judiciò, cognoscere possumus.

§. XIV. Huic vicinum est, quod *decimò* notamus, ne pudeat pigeatque, aliorum monita audire, & cum sana & salubria deprehendantur, sequi, imò expetere, si sponte non offerantur. Inculcavit & hoc *J. Gerson* de discern. veris & falsis revel. p. 22. seqq. ubi *discretionis* nomine commendat *promptitudinem ad credendum consilio, quæ sit humilitatis filia*: ac post paulò pag. 26. monet, *non sufficere quotidianis interrogationibus fatigare prudentes: sed fidem & obedientiam præstare necesse esse: alioqui stultum fore hominem hujusmodi, qui non recipit verba consilii*: Idèq; his præcipue, qui sibi videntur visiones aut revelationes singulares à Deo nacti, observandum esse prolixè docet, ne vel suæ phantasiæ vel Satanæ & organorum ejus lusibus decipiantur. Et profectò exemplis constat, quomodo homines, qui jam erroribus implicari cæperunt, fidelibus ac tempestivis aliorum monitis excitati, pedem retraxerint, atque Ecclesiam à metu novarum corruptelarum, seque ipsos à periculo suo liberaverint.

§. XV. Sic autem *undecimò* facile colligitur, eos, qui errorum convicti sunt, ne per contumacem eorum propugnationem in hæresin formalem, quam vocant, incidant, cum negare à se enunciata aut scripta nequeunt, vel apertè revocare, ne detrectent: memores illius vulgò noti, ex *Bernhardo*, quod & *Chytraeus* l. c. pag. 51. laudat: *Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio*. Præstat enim, vel sui honoris jacturâ veritatis cœlestis integritatem, Ecclesiæque tranquillitatem redimere; quàm Dei, hominumque piorum justis censuris atque ignominia hujus ac futuræ vitæ, insanò ausu, se exponere.

§. XVI.

§. XVI. Denique *duodecimò* & ad cavendos peculiariter lapsus in hæresin ex ambitiosa cupiditate aut amplexatione revelationum extraordinariarum, quasi divinarum; adjicimus, quod tanquam saluberrimum consilium contra tales Dæmonum illusiones, suppeditat *Gerson l. c. p. 16. ut se quisque putet intellectu pariter & affectu indignissimum, qui super alios homines revelationem accipiat, qui præ aliis à Deo mirabiliter visiterur.* Sic enim infidiori Satanz tantò sterilior reddetur opera ad decipiendos animos, quos non tam cupido prærogativæ ejusmodi singularis, quàm sollicitudo sancta atque humilis occupavit. De quo & aliis cum plura dici possent, hic tamen nobis abrumpendum est.

§. XVII. Quæ Ecclesiæ atque his, qui in ea eminent, aut Jura Ecclesiastica possident, respectu aliorum observanda sint, ne ambitio hæreses enitatur, paucis adhuc expendemus. Ubi facile *primum* est, quod passim & secundum ipsas Scripturas docetur: eorum, qui ad munus sacrum vocandi aut promovendi sunt, non doctrinam solum, sed & *mores* prius explorandos esse, antequam admittantur, juxta I. Tim. III, 10. Ideoque hominem *novitium* non esse eligendum Episcopum, quia metendum sit, ne *inflatus τῷ φωνεῖς εἰς κρημα διαβόλης*, in condemnationem Diaboli aut calumniatoris incidat. Unde & Concilium Carthaginense IV. c. I. ubi catalogum virtutum, Episcopatus Candidato necessariorum, contexit; Si *humilis* sit, ait inter alia. Confer *B. Ziegler, de Episc. L. II, Cap. IV. §. 39. & 45. & lib. IV. Cap. II. & IX.* Ita sane in constitutione non solum Episcoporum, quibus in alios auctoritas ac potestas conferatur; sed & Professorum, quibus exquisitior voce ac scriptis docendi ratio incumbat, attendendum est, ne munia ejusmodi credantur hominibus ambitiosis ac superbis, qui jam antea vitiorum horum specimina ediderunt. Quod si enim illi, qui, priusquam ad sublimiorem gradum eveherentur, vel reverà humiles fuerunt, vel ingenia ambitiosa occultare potuerunt; haud rarò tamen deinde vel per ipsos honores magis corrupti comparuerunt; quid ab illis expecte-

pectemus, qui jam ante his morbis aperte correpti ac *τοφω-
Ιεύτες*, adeo non sperari possunt emendatum iri, (est enim,
reverà infatiabilis ambitio) quàm occasionem ampliorem sa-
tisfaciendi desideriiis suis impetraturi: *Multorum crudelitas &
ambitio, ait Socrates, no paria pessimis audeat, fortuna favore deficitur.
Eadem velle eos cognosces, da posse quantum volunt.* Epist. XLII.

§. XIIII. Alterum est, quod Ecclesiæ, ad præcaven-
das ex ambitione horum metuendas hæreses, expedit, si ad
certam doctrinæ formam, compendiosè, perspicuè & accu-
ratè expositam alligentur docentes, unde discedere aut exor-
bitare non liceat. Sic enim ingenia altum sapientia, si ma-
ximè suis speculationibus plus justo indulgeant, & errores
quosdam concipiant, in lucem tamen eos eniti non æquè au-
dent, quando vel ipsam dignitatis suæ jacturâ metuunt. Quam-
vis enim hoc servile quibusdam & quasi jugum conscientia-
rum esse videatur; quemadmodum Socinianos, Remonstran-
tes, Anabaptistas, Quakeros & similes multò majorem affecta-
re licentiam novimus: nobis tamen agenda sunt Deo gratiæ,
qui jam olim majoribus nostris meliorem mentem inspiravit,
atque hoc suppeditavit medium, quò cum ipsæ istorum, tum
aliæ aliorum fanaticorum corruptelæ ab Ecclesiis nostris ar-
cerentur, & moliminibus fastuosorum spirituum obex pone-
retur.

§. XIX. Quando autem tertio semina quædam errorum
jam à quibusdam sparsa esse videntur; nondum autem de
malo animo & periculosis machinationibus eorum, à quibus
profecta sunt, constat; qui potius, velut communi quodam
jure boni præsumuntur, donec probetur contrarium; ac fieri omninò
potest, ut etiam fidelibus Doctoribus ex infirmitate excidat,
quod à veritate alienum est: (prout Veterum Ecclesiæ Patrum
exempla pridem docuerunt:) hòc, inquam, casu danda est
opera, ut qui à vera doctrina declinare videntur, monean-
tur quidem tempestivè; sed & leniter primùm ac amicè, ut
quorum non ignominia aut dignitatis detrimentum; sed
emendatio & veritatis custodia quærat. Nam olim quidem
mul.




multis turbis & in Ecclesiam introductis hæresibus viam mox obstrui potuisse, observatum est; si in orthodoxis & aliorum monitoribus plus charitatis & moderationis locum habuisset. At talibus exemplis edocti nosse possumus, quod & res ipsa docet, facilius corrigi, qui cætera boni & in dignitate constituti sunt, si fraternè corrigantur, eò modo, qualem David descripsit *Psal. CXXI, 5.* quàm si acerbius & contumeliosius increpentur. Scilicet connata illa, proh dolor! per labem originariam omnibus hominibus *Φιλαντία* & honoris proprii studium facilè facit, ut qui meliora docentibus aut suadentibus cessuri essent; jam minùs cedant, cùm in facie Ecclesiæ intempestivo aliorum zelo aut insultatione ad defensionem sui adiguntur potiùs, quàm ut honestè sibi regredi liceat. Quanquam enim excusati non sint, qui quoquò modò errores tuentur; ex adverso tamen etiam his, qui alios in viam veritatis revocare videri volunt, cavendum est, ne si illos præcipiti consilio falsis Doctoribus accenseant, ipsam eorum emendationem impediunt potiùs, quàm promoveant; & homines alioqui dociles futuros suâ asperitate contumaces reddant. Quapropter observandum omninò erit, quod Paulus *Gal. IV, 1.* scribit: *Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo aliquis lapsu aliquo, vos tamen, qui spirituales estis, instaurate ejusmodi hominem Spiritu mansuetudinis, & consideres quisque teipsum, ne & tu tenteris.*

§. XX. Quod si verò jam eò res abierit, ut manifesta hominum ambitio aut superbia in hæresin eruperit, ita, ut quantumcunque leniter ac seriò & solidè & accuratè monentibus cedere nesciant; profectò nequaquam blandiendum esse eorum moribus ausibusve judicaverim, qui potiùs, *ne ad horam quidem his cedendum esse dico,* cum Apostolo *Gal. II, 8.* Ac memini ejus, quod *B. Chytræus* attulit loc. cit. pag. 60. & 61. *Plerumque Superbi, quò humaniùs & molliùs demulcentur, eò υπερικώτεροι & insolentiores sunt, ut Nazianzenus inquit, Θερραπευόμενα τὰ υπερειφάνεια ἡμῶν*



ἢ, ἐὰν τῶν ὑπερωπτικῶν γίνεσθαι πέφυκε, wenn man
 einen hoffärtigen Bauern bitter / so schwillt ihm der
 Bauch. Itaque hīc τὸ ἐλέγχειν & ὀπισθομίζειν non solum
 valent; sed & ἀνάθεμα dicendum his, qui aliud Evangelium
 docere ausi fuerint: Gal. I, 8. 9. Atque hac haecenus dicta
 sufficiant. Quicumque autem, juxta verba ejusdem Ep. c.
 VI, 16. juxta regulam verbi divini, in doctrinae sinceritate
 & humilitate mentis, incedunt, pax super eos & misericor-
 dia, & super Israëlem DEI! Sit etiam Gratia Domini
 nostri JESU Christi cum Spiritu nostro! Amen!

F I N I S.



Pre.



Praeximio & Humanissimo
DN. ALBERTO FELICI
GÆRTNERO,

S. Theologiæ Studio genuino, Amico suo honorando
S. D.

JOHANNES GVILIELMVS BAJERVS,
D. P. P.



um veritatem diligas & modestiam, utrius-
que etiam studium haecenus de te ostenderis;
jam fortasse *ἄλλοθρον* aliquibus exhibebis
argumentum Disputationis, quae circa oppo-
sita eorum, haeresin & ambitionem, filiam il-
lam, hanc matrem, occupatur. Sed profe-
ctò de erroribus rectè tantum judicant, qui
verum sequuntur; & de vitiis, qui virtutem coluerunt. Ac tu,
cum specimen profectuum Academicorum editurus es, non va-
nam honoris umbram quæris, sed ad ministeria Ecclesiæ Christi
praestanda te preparas, & probari cupis. Itaque nec ego in laudes
tuas ita excurram, quasi qui alienam ambitionem alere velim:
verum satis habebò, virtuti tuae & praeclaris conatibus testimo-
nium dedisse. Hoc enim officium non solum Charitatis lex præscri-
bit, sed & futuris Ecclesiæ ministris eò opus esse docuit Apostolus.
Favit autem Deus, cujus dona ad docendum flectendumq; popu-
lum Christianum haud parcè collata, jam in templo nostro com-
paruerunt; ut alterò quoq; hoc documento è cathedra Academica
& secuturis porrò laboribus, non minus *ἡμεῖς ἐλεγχον ἄλλοθρον καὶ*
ἐξηγησομεθα conspiciaris, operarius in horto sacro Salvatoris
nostri fidelis & felix futurus. Vale. Scrib. d. X. Aug.

A. C. clc lcc xci.

JESUM!

Virum-Juvenem doctrina & virtute florentem,

DN. ALBERTUM FELICEM GAERTNERUM,
Magisterii Cand. dignisf. SS. Theol. Stud. assiduum,
Amicum & Sympalæstrit. æstimatissimum,

Τὰ ἀπαντα κατεργασάμενον σῆνα.



Materia, quam publicæ tractationi destinasti, GAERTNERE, non illa quidem è rariùs occurrentibus, non feriens oculos lectorum, non usibus quotidianis æqua solùm, sed planè necessaria, & ecclesiæ nostræ ævi est *Ἰπὸσι*. Eadem verò à nemine, quàm *Τε*, rectiùs exponi potuit. Tu siquidem illud malum (sive sensum carnis secundum excellentiam, sive ambitionem litereriam, sive *ἀεργεσιν*, cum Athenæo, dicas) ita noscís, ut detesteris, detestaris, ut quid & quare detesteris, ad speciem calleas. Quæ res Bonorum favores Tibi peperit jam pridem. Qui Tecum in stadio currunt, *Τε λελκόν καὶ ἡσυχον κάρθ*, magna cum lubentiâ ferunt. Qui Stadio præsent, quod *ἡμηνάμ* monitoribus fueris asper, optima atque ecclesiæ saluberrima Tibi optant & ominantur. Artium & Lingvarum in illustri hac Salana Mystæ Tibi pileolum sacrum, brabeum precum & sudorum, modò parant. Maçte his omnibus, felicissime FELIX, & frueri diutissimè! Ego Divinum Nomen ardentius invoco, ut dignetur Te in regia, quam decurris strenuus, ad metam deducere, ut qui hodie *exemplar Studiosi frugis* totò Pindo nostro celebraris, olim *Plur. Rev. Dn. Parentis Gaudium, Patriæ Decus, & Ecclesiæ columna* ubique terrarum glorificare. Rogaveras me carmen, accipe line. lam:

Tecum habitans prodis, quam sit Tibi larga supelleæ.
Utque DEO, utque Diis, *Tecum habitæ*, placeas.

& vale. Scribeb. festin. Jen. d. XIII. Aug. 1692.

T.

GEORG GOEZIUS,
Super. Gen.

ET verò & falsò conficta modestia cultu
exprimit, & simulat religionis opus.
Quos habitus pietas vera induit, induit
illa,

& quibus ista modis, pugnat & illa modis.
Tu tamen hoc habitu, pugnandi hac falleris arte
Spectator! fieri quâ ratione putas?
Ambitio fictâ mentitur imagine formam,
Monstrat id hoc doctum religionis opus.

*Per-Eximio, nec à modestia minùs, quam
ab eruditione commendando Domino
Gertnero, fautori atq; amico dilectis-
simo gratulaturus scribebat*

M. MICHAEL ZÜLICHUS,
ad D. Mich. Ecclesiastes & Minist. Jenens. Collega.

P*Estifera monstras noxam Ambitionis
apertè:
Hinc laus, hinc & honos surget,
Amice, Tibi.*

Sic Clarissimo Dn. RESPONDENTI,
Amico svavissimo, applaudit

H. P. HÖLZL, à STERNSTEIN.

Dee

Madrigal.

Der Lorbeer-Schmuck sprosst nicht als
Kesseln für/
Ihr himmlisch Was steigt aus gebaueter
Erden /

Und die geweihte Tier
Will nur auf Fleiß und Wartung findbar wer=
den.

Diß wußtestu/Minerven liebster Sohn/
Drüm da dein Geist den Daphnen Reiß ver=
langet /

Bemühte sich dein edler Gärtner-Fleiß
Hey Zeit um dieses Höfner-Reiß.

Wie hastu manche Nacht
An diesen Hauder Treßligkeit gewendet/
Du hast den Schweiß als sanftes Maß ver=
pfändet /

Und ungestillt im Wis und Kunst gewacht.


Saline rufft: Vollführe dein Erfühnen!


Was du gepflankt/soll bald zur Eröhne
dienen.

Mit diesem wolte seinem werthgeschätzten
Herrn Contubernali gebührend
glückwünschen

Wolfgang Caspar Sanwald/
LL. Stud.







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

29

F. N. F.

HISTORICO-THEOLOGICA

De

**ITIONE,
RESIUM
AUSA,**

Quam
I NUMINIS AUXILIO
P RÆ S I D I O

GVILIELMI BAJERI,
& Prof. Publ. Ordin.

ORIO THEOLOGORUM

Aug. A.C. clō lōc XCII. *Aug. 1692*

CE DISQUISITIONI

submitter

IS FELIX Gärtner/
ertivillā - Francus.

J E N Æ,
RGII HEINRICI MÜLLERI.

